
COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
O BIOC
TEXNH
BPAXYC H
ΔE
MAKPH

JOSEPHI FRANK

RATIO MEDENDI

PARS PRIMA.

RATIO INSTITUTI CLINICI TICINENSIS

A MENSE JANUARIO USQUE AD FINEM JUNII ANNI MDCCXCV.

QUAM REDDIT

JOSEPHUS FRANK M. D.

Antehac Medicinae practicae atque Clinices in Academia Ticinensi Professor extraordinarius; nunc Nosocomii Civici Vindobonensis Medicus Primarius.

PRAEFATUS EST

JOANNES PETRUS FRANK.

Editio prima Italica

Animadversionibus locupletata

CURANTE

VALERIANO ALOYSIO BRERA M. D.

In Archigymn. Ticinensi Therapiae specialis, & Clinices Professore extraordinario, Legionis Nationalis Ticinens. Chirurgo Supremo, Academ. Vindobonen., Berolinensis, Goettingensium, Ienensis, Bruxellensis, Mantuanae, Florentinae &c. Sodali.

PARS PRIMA.

VENETIIS, 1799.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

CIVI ERUDITISSIMO

ANTONIO SCARPA

FACULTATIS MEDICAE ET CHIRURGICAE

PER INSUBRIAM

PRAESIDI

IN TICINENSI ARCHIGYMNASIO ANATOMES

ET PRAXIS CHIRURGICAE

PROFESSORI P. O.

ACADEM. R. I. MEDICO-CHIRURGICO-JOSEPHINAE

VINDOBONENSIS,

CAESAREO LEOPOLDINAE NATURAE

CURIOSORUM,

R. LONDINENSIS, MEDICINAE EDINBURGEN.,

SCIENTIARUM BEROLINENSIS ET TAURINENSIS

ETC. ETC.

SODALI

ANATOMICO MAGNO, ET CHIRURGO PERITISSIMO,

EGREGIIS INVENTIS PER TOTAM EUROPAM

LONGE CELEBERRIMO,

HANC NOVAM FRANKII EDITIONEM

ANIMADVERSIONIBUS ORNATAM

V. A. BRERA

D. D. D.

GRATI ANIMI ET AMICITIAE DOCUMENTUM.

AUDITORIBUS SUIS

V. A. BRERA

S. P. D.

Quam arduum sit opus Tyroni medico, in studio theoretico jam edocto, singulos praxeos numeros tradere, neminem quidem crediderim, nisi inexpertos, ignorare. Tales igitur mihi videntur esse illi juvenes, qui, absolutis in Academia medicinae theoreticae studiis, quantum a Praeceptorum ore hauriri potest, post breves per nosocomium cursitationes, temere medici nomen postulant, aegrotosque tractandos aggrediuntur. Late admodum patent medici officia; potior tamen horum omnium est finis, ut rei publicae & privatae sanitatis curam gerat, atque hinc in Arte morbos sollerter sanandi versatus sit. Etiamsi vero nonnullis jam aetate medica provectis, contemtuosius de re medica sentientibus, non adeo ardui laboris esse videatur, morbos depellere, cum & artis medicae prorsus ignari, nefandis ausibus similem sibi tribuant peritiam; tantum tamen abest, ut ex horum sycophantarum ventositate, ac temerariis factis, felici quandoque fato adjutis, artis medicae tenuitatem metiri conveniat; quin potius

quum ipsa perquam multis prematur difficultatibus, ii tandem neque quid agendum sit, neque quomodo sanatio suscipi debeat, indubitatis rationibus decernere statim valent. Varia est hominum conditio, varia unius, ejusdemque morbi facies, varia medicamentorum agendi ratio, aliaque maxime consideranda, quae obstant methodo in similibus morbis ab altero medico in usum vocatae. Non prono semper impetu caussas morbum facientes aggredi licet, cum ob ipsarum contumaciam, aut aegerrime devinci possint, aut potentius exagitatae, gravioribus noxis inducendis aptae reddantur. Optimorum remediorum apparatus, parum prudenter administratus aegro damnum inferre poterit, nisi temporis, subjectorum, sexus, temperiei, aetatis, indicantium & contraindicantium habita fuerit ratio. Lento quandoque gradu ire, atque plus expectando, quam agendo proficere convenit; cum vero necessitas quandoque imperaverit, & subitam parare opus erit medelam, similibus interdum utendum, interdum per contraria eundum, neque ulla adeo universalis in re medica statui poterit regula, quae in omnibus valeat casibus, cum unicum potius medici judicium omnibus regulis debeat esse superius. Nihil ergo in quocunque morbo decantatissimis istis per totum orbem volitantibus specificis fidendum erit,

spe-

speciosissimo quidem suo titulo multa pollicentibus, nihil tamen praestantibus. Nulla unquam tam efficax est medicina, quae absque notabili, vel sine ulla plane corporis mutatione, morbi caussam imprimis contumaciorem, indole sua prorsus incognitam, illico supprimat, atque ejus nocendi vim deleat: quae potius, etiam si per sic dicta specifica destructa videatur, mox gravioribus viribus captis majore cum acerbitate recrudescens, perniciosior fieri solet. Plura alia hoc de argumento addere possem: satis interim ex paucioribus jam dictis intelligi posse arbitror, quantopere saepius medico per ambages sit eundum, & quanta cum circumspectione cognitae licet morborum caussae, per corporis mutationes, medicamentorum ope suscipiendas ita disponendae sint, ut ipsarum pertinacia debellata, e sede sua tandem dimoveri queant. Haec omnia theoretico tantum studio minime disci possunt, liberque praxi dicatus summopere necessarius evadit, quippe qui ad aegrotantium lectulos rectam medendi viam Tyronibus commonstrare queat.

Qua de re diu sollicitus & anceps, quale opus praxi medicae dicatum, sanisque BRUNONIS *praeceptis innixum Vobis proponerem, quod tum mea docendi ratione, tum mea aegros tractandi methodo elapso anno in Clinico Instituto Ticinensi habita,*

ta, congruum foret; tandem optimo consilio Rationem medendi Instituti Clinici Ticinensis anni MDCCXCV., *ab egregio Juvene Iosepho FRANK nuper Vindobonae in lucem editam, lubenter eligere curavi; eo magis quod ipsius praelectiones binos ante annos hic loci audivistis, atque observationes hoc in libro exaratas coram Vobis peragebat doctissimus Auctor. Qui BRUNONIS laborem magni faciunt, vitia ab ipso commissa probe noscunt, artis medicae firmis principiis instructae incrementum praeoptant & promovent, isti FRANKII opus grati accipient, diu noctuque animo perpendent, atque aegrotantium lectulis scient, quanti hic labor habeatur. Hos lubenter operis judices agnoscimus: horum censuram non deprecamur, sed expostulamus potius, cum doceri nos posse credamus, & discere amemus.*

Nostris quidem temporibus magna medicinae lux affulsit, hujusque Artis studium Neotericorum laboribus perutile, atque simul jucundum, quam par erat, redditur. Pulchram illius diei auroram sistebat BRUNONIS interpres, Civis dignissima laude ornatus, Petrus MOSCATI antea Mediolani Artis Obstetriciae Professor & Nosocomii Civici Moderator, qui primus BRUNONIS doctrinam in Italia patefecit, dum ipsius Medicinae Elemen-

menta *eruditissima praefatione locupletata typis Mediolanensibus edidit. Sedulitate & cura quoque Civis Io. RASORI hujus Archigymnasii Medicinae Professoris BRUNONIS systema italico sermone translatum, ac judiciosis annotationibus explanatum vulgatum fuit ita, ut unicuique medicinae cultori magis magisque in promptu esset.*

Ast deerat adhuc liber, qui potiora novi systematis capita, corporisque humani aegritudines BRUNONIS placitis & praeceptis praxi confirmasset, ipsiusque dictis fidem auxisset, intertextis iis, quae morborum caussas & curationes illustrant. Felix qui rerum potuit cognoscere caussas, *inquit olim LUCRETIUS! Certe multo felicissimus Medicus habendus est, cui hanc adire Corinthum licuit! Huncce librum sistit FRANKII nostri opus, quod Vestro potissimum commodo, Juvenes ornatissimi, duas in partes divisum, typis Ticinensibus denuo recusum, Vobis offero. Ob Vindobonensis bibliopolae neglectum, leviores impressionis castigationes necessarias inveni, quae vero nullo modo autographum invertunt. Nonnullas priori huic parti adjunxi animadversiones, quae argumentis huc illuc agitatis convenire videntur, & simul brevitati inserviunt. Protinus immutata edere curavi Capita II & III, quippe quae nulla egent interpreta-*

ta-

tatione. Alteram partem copiosioribus ornavi annotationibus, diversos morbos chronicos medendi methodum respicientibus, quae tamquam meae editurae Rationis medendi &c. *prodromus considerandae erunt. Problemata nulla huc spectantia movi, & illis ab Auctore expositis, quantum annotationum limites permiserant, paucis respondi, ulteriorem dijudicationem justis, aequisque arbitriis commissurus.*

Opus hoc, mea cura Ticini recusum, legisse ac relegisse Vos non poenituit, diligentissimi Juvenes, nec unquam poenitebit. In conscriptis morborum historiis, morbos semper recte agnoscere, eorundem naturam indagare, & caussas saepissime abditas eruere, hoc est opus, hic labor. Ibi confirmatum videbitis sapientissimum illud BRUNONIS dictum ab HIPPOCRATE jam pluries enuntiatum, idest: per quae vivimus & sani sumus, per ea etiam aegrotamus. *Hujus rei documentum luculentissimum praebent vivendi ratio, seu res nonnaturales sic nuncupatae; & sicuti enim aere, cibo & potu, motu ac quiete, somno & vigilia ad vitam & sanitatem necessario utitur homo, ita si vitium iis in rebus existat, certissimum est, illud in corpore gravem ad morbos suscipiendos opportunitatem, quin morbos ipsos, gignere. Et quemadmodum geometrae ex trianguli & circuli natura atque proprietatibus; & su-*

sublimiori arithmeticae seu algebrae addicti, ex simplicissimo principio aequationis problemata, saepe rationis omnem captum superantia, solvere ac demonstrare solent; neque minus, qui legum naturalium ac potestatum doctrinam nostris temporibus profitentur, ex principio certo juris naturalis omnes actiones, omniumque actionum moralitatem derivare volunt: ita etiam ex simplicissimo naturae principio, seu demonstrationis fundamento medicus non modo status sani ac vitae rationem, sed & morborum ortum ac generationem, nec non medendi indicationes & viam clare atque perspicue explicare, & deducere debet. Hac demonstrationis methodo post BRUNONIS lectionem in pluribus scholis medicis praestante, medicina in scientiae formam commodissime redigitur, veritates inveniuntur, errores deteguntur, difficilia problemata enodantur, & quid agendum, vel omittendum sit, medico evidentissime ostenditur. Fons autem & scaturigo errorum ac ignorantiae medicae ex eo praecipue fuit, quod non ex ipsis rebus sapere, & ex corporis nostra materia & natura ipsum physicarum demonstrationum principium, & caussam desumere voluerint; utpote Veteribus istis exilissima corporis humani structura, quae nostris temporibus per anatomen accuratissimam summo studio & diligentia praeclarissimorum prae-

ci-

cipue Virorum Wilhelmi, & Joannis HUNTER, CAMPER, MONRO, VIQ D'AZYR, SCARPA, CRUIKSHANK, WRISBERG, LODER, PROKASKA; WALTHER, SOEMMERING, *aliorumque ante oculos ponitur, penitus incognita fuit. Praeterea ipsi artificiosam viscerum emunctoriorum & organorum fabricam, nec non intimam nervulorum connexionem, quibus ad sensationes anima utitur, ignorabant; neque solidorum, neque fluidorum natura, motu, lege, pondere & elatere callebant; quin immo nec ullius corporis mixti texturam ac crasin per chymica experimenta intimius detexerunt; uti nunc cel.* BLACK, LAVOISIER, FOURCROY, GUYTON, BERTHOLLET, SEGUIN, VAUQUELIN, PELLETIER, CHAPTAL, VAN-MONS, HILDEBRANDT, HUMBOLDT, GREEN, GIRTANNER, JOBERT, MOSCATI, SPALLANZANI, CARMINATI, MARABELLI *&c. maximo labore, summo judicio, ac repetitis periculis, peritissimi effecerunt. Qua de re neque in physiologicis, nec pathologicis, nec therapeuticis in medicamentorum compositione ac viribus decernendis, si verum fatendum est, medicum lucrum ex veterum medicorum scriptis percipere potuimus.*

Ut corporis humani status morbosus recte deprehendatur, conditiones noscere oportet, sub quibus sanitas versatur. Has

prae-

praecipue cadaverum sectiones docent. Vana enim, quin immo ridicula, prorsus habenda trita illa opinio: quid juvat medicum cognoscere caussas morbi latentes, si istas removere non valeat? " Quicumque ratione, prudentia & cognitionibus ductus mederi cupit, ope cadaverum sectione neutiquam nocere discet, si forte prodesse nequeat. Tanta in morbis ipsoque mortis genere varietas est, atque tam arctis medica cognitio circumscribitur limitibus, ut multos homines aggrediatur mors, cujus caussam ne peritissimi quidem medici ulla arte divinari possint. Ex hoc genere eos imprimis morbos esse, ex quibus mors repentina oritur; nemo unquam dubitabit: non raro enim contingere solet, ut aut robustissimi homines, sanitatem ipsam spirantes, inopinata morte occumbant; aut quibus aegritudo quaedam remotiorem mortem minari videbatur; repente tanquam fulmine icti concidant, & moriantur. Cujus quidem mortis caussa cum intus lateat, vix alio modo, quam cadaveris sectione, cognosci, aut definiri potest. Hice omnibus optime instructus Auctor noster cadaverum sectiones non plures in morborum historiarum appendice describit.

Omnia hinc in hoc libro exposita ad Vos, Juvenes Medici probe parati, accedunt, qui aegritudinum naturam observationibus probe scrutari optatis, & BRUNO-

NONEM ducem vultis, quem nisi omnino sequamini, habeatis tamen pro egregio consultore. — Habebitis itaque, Auditores ornatissimi, parvis duobus voluminibus praeceptorum plurimos morbos respicientium enchiridion, artis salutaris exercitio ubivis terrarum utillimum, cujus ope novas in BRUNONIS theoriam disquisitiones tuto efficere poteritis.

Dabam Ticini (die 27. Augusti 1797.

„ Decernatur itaque quo tendamus & qua non sine perito aliquo, cui explanata sunt ea, in quae procedimus.... Nihil ergo magis praestandum est, quam, ne, pecorum ritu, sequamur, antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem componimur, optima rati ea, quae magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt, nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus: inde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium. Nocet enim applicari antecedentibus, & dum unusquisque mavult credere, quam iudicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur; versatque nos & praecipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis “.

L. A. SENECA Eclogae.

PRAE-

PRAEFATIO.

Non ut susceptum a filio laborem in maius extollam, — nec ut alienam, quam partim amplexus est, theoriam, in omnibus aut meam faciam, ac tuear, aut, vulgaris tenax doctrinae, impugnem, praefabor huic operi.

Etenim non ignarus malorum, quae tot a seculis medicae incremento scientiae remoram fecerunt, odi profanum vulgus & arceo, quod omnem Veteribus in re salutari perspicaciam vel abnegat, suamque huic substituit; vel omnem his solis attribuens, quae nova sunt, prorsus abhorret. A cunis medicis nauseae hypothesium mihi cohoors semper fuit, fuerunt lites, quas eruditos hae inter Viros, — sepulto quidem profunde post annos haud multos tantorum bellorum obiecto, sed odio partium cum magna ipsius artis iniuria relicto, movent & excitant. Tacita hinc mihi semper fuit, & tolerantissima contrariae sententiae in rebus medicis opinio. De propriis saepe dubitans, aliorum argumentis, nisi tandem adhaeserim, arma tamen publica (nisi parum acuta, nec certe *hominem* ferientia) nequaquam opposui. Docentis munere ad *Leinam*, ad *Ticinum*, ac demum ad *Danubium* instructus, non aliter, quam mei ratio officii exegit, in hisce incessi: propria proposui, nec tacui contraria, singulis plenam de utrisque ferendi iudicii facultatem lubenter concedens; huic uni fere innixus, ut erudiendos Tyrones difficilem de multis *dubitandi artem* docerem.

Nec fefellit me rerum eventus: fuit enim quamproxima exercendi hoc in opere iuvenilis in-

genii occasio. Nominis & experientiae in arte Medica insignis, Viri, VALCARENGHIUS, BURSERIUS, atque TISSOTUS, cathedram Ticinensem, quam anno 1785 ascendi, ornaverant. Ab istorum doctrina, & a recepta quamplurimos Italiae inter Medicos medendi methodo, illa, quam nunc profitebar, in multis non parum recedebat. Quamvis vero per annos viginti aegrorum curae innumerorum praefixus, & ex *Georgia Augusta*, cuius academiae summus apud omnes honor semper fuit, Professoris Clinici munere functus fuissem; cum tamen, praeter *medicae* opus *Politiae*, germanico idiomate conscriptum, praeter notum de *larvis morborum biliosis* programma, & aliquas observationes medico-chirurgicas, latino sermone exaratas foliisque academicis insertas, nihil unquam maioris momenti in lucem edidissem, quod iustam mihi nationum exterarum fiduciam redimere, ac aequalem illi Virorum, quorum vestigia premebam, clarissimorum, auctoritatem conciliare potuisset; cum hac sane luctari nec potui, nec volui; sed oportuit argumentis uti, quae mentem Tyronum, contrariis partim opinionibus imbutam, quodammodo concuterent, & ad nova rerum examina vel invitam revocarent; oportuit ea, quae passim in publicis lectionibus a communi doctrina diversa docueram, ad lectos aegrotantium ut vera ostendere, ac non unius, sed multiplicis experientiae, vel & pathologicarum sectionum testimonio, submittere. Factum vero est inde, ut unum alterumve post annum insignis iuniorum numerus medicorum ex diversis admodum regionibus Ticinum conflueret. Distinctas hi quasi sectas, pro varia scholarum, ex quibus erant egressi, doctrina, formabant. Suam quaevis ex illis theoriam tenaciter primum defendere, phaenomena & eventus morborum, pro suo quae-

vis

vis modulo, interpretari, ac primos anni scholastici per menses alienis utcunque reluctari principiis studebat. Cernebam haec tacitus ac intense gaudebam, tyrones nempe, non in sui verba magistri iurantes, sed dubios & anxie curiosos, ad lectum aegroti, Lydium ut ad lapidem, recurrere. Ad istum, quanta pro auro venditentur, ignobiliora licet ac vilia prorsus, metalla, mihi non minus a multis iam retro annis, quam sociis quotidie conspectum est discipulis. Creverunt sic dubia in istis, reiectisque sensim sine sensu dilectis non ita pridem hypothesium quisquiliis, tales tandem; quales esse volueram, veritatis, non fuci; amantes, indefessos, ac novae lucis, undequaque haec venerit, cupidissimos sese mihi sistebant. Hinc rarum non erat, tyrones a mea hinc inde in aliam transivisse sententiam; quidquod istam publicis adeo in thesibus, sub necessario quidem, sed facile impetrando ad istud consensu meo, pro gradu Doctoris amice ac pro viribus defenderint.

Quales mihi medicinae tyrones, -- tales quoque proprios esse filios, huic scilicet scientiae dicatos, optavi. Duos mihi Superi, utrumque ingenio felici ac scientiae amore urente dotatum, concesserant. Iuniorem natu, vitaeque partem meae, FRANCISCUM, paucos ante menses sors iniqua, longiore vita dignum, eheu! mihi eripuit (*a*). Tum infelicem hunc iuvenem, tum fra-

 trem

(*a*) Natus erat *Bruchsaliae*, in Episcopatu Spirensi, die 6 Januarii 1774. Ex hac vita decessit Vindobonae, die 10 mensis Martii 1796, crudeli contagio, in Clinico huius Metropolis instituto, cuius *Medicus*, ut vocant, *assistens* fuit, suscepto enectus. Sub ipso studiorum cursu, *Insubriae fungos* vix non omnes insigni cum la-

trem istius, praesentis opusculi auctorem, divi monito HIPPOCRATIS, ab ipsa infantia ad artem, quam adulti professi sunt, non minori certe in istam, quam propriam in prolem amore, sollicite conduxi (*a*). Cum vero hac lege, a primis in-

---

labore collegit, eosdem, manu propria delineatos, ac pictos, accuratius descripsit, aliquot incognitas hucusque species detexit, ac omnium in corpus humanum effectus anxie scrutatus est. Doctoris in Medicina gradum Ticini, die 5 Iunii 1795 sub insigni Praeceptorum applausu obtinuit. Vindobonam vix petierat, cum & in Austriae inferioris fungos, Viri illustris IACQUINI consiliis suffultus, studium omne converteret. Hic vero librum (Considerazioni del Dottore *Francesco* FRANK intorno alle riflessioni del Sig. *Gaetano* STRAMBIO sul libro intitolato *Joannis* BRUNONIS *Elementa Medicinae*. Pavia presso Comino, 1796. 8.) me inscio conscripsit, fratrique suo, ut Ticini ederetur, transmisit; sed quem primo ac longiori labori finem imponere fata noluerunt, hunc, antequam alter in lucem prodiret, mors dira, mihi, quoad vixero, plorandum, extinxit.

(*a*) In oratione academica *de vertebralis columnae in morbis dignitate*, quam in Archigymnasio Ticinensi anno 1791, occasione laureae filio proprio a me impositae, hunc ipsum allocutus, paucis, quam viam hoc in opere ingressus sim, exposui sequentibus: „ Et tu Io- „ sephe, fili dilecte, in teneros parentis amplexus ac- „ cede! Non ego, quod vitae tibi auctor fuerim, sed „ in eo, quod scientiis & societati hodie nascaris, glo- „ riabor:

Gratum est, quod Patriae Civem Populoque dedisti,
Si facis, ut Patriae sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.

IUVENALIS, L. v. sat. 13.

„ Huius ego moniti, cum prima tuis lux oculis affulsisset, bene memor, perpetuus comes, & indefessus „ tibi custos adstiti. Quae pueris spectra insidiantur & „ anilium sub larva fabularum per cerebrum intrant, „ haec a te, sacro nudae veritatis abegi solerter amu- „ leto; nec te unquam aut *manducus*, aut *lamia*, aut „ *Cyclopes*, aut *mercurius atro carbone oblitus* tenue- „ runt.

incunabulis, solius veritatis, non humanae aucto-ritatis rationem in scientiis quaerendam esse docuerim; odiosum illud parentibus, *non verum est mi pater*! ... a filiis responsum serena semper fronte suscepi, ac vel ipse quaerendae lucis labo-

 rem

„ runt. Sic mentem sanam in corpore sano tibi servare „ studens, plurimarum rerum, quibus puerorum obrui- „ tur memoria, *ignorantiam* in te alui, contentus sen- „ suum, quo imagines recipiuntur, continuo exercitio; „ rectaque obiectorum, quae tenera cum pupilla intue- „ baris; positione. Saepe, quae; fortuito tibi oblata „ putans, puerili lusu tractabas, haec a me, certo; „ futuros in usus, disposita ordine, te, quam non per- „ cipiebas, ad metam ducebant. Sic *anatomica* delecta- „ tus togula, *septennis puer*, cadavera non pauca, --- „ certe, qua quivis lanio potuisset, rudiori manu per- „ scrutatus es; sed tractu temporis, aetate, qua nemo „ futurus medicus humani corporis sibi format imagi- „ nem, nec viscerum situm, connexionem & fabricam; „ nec usus communes ignorabas. Sic *chymicorum*, ea „ ipsa in aetate, admiranti labores, machinulas, qui- „ bus faciliora, sed praecipua hac in arte experimenta; „ aliorum ad imitationem, non sine duce egregio quon- „ dam in chymicis BELLONIO, laetabundus suscipe- „ res, lubenter tibi concessi; & sensim sensimque cor- „ porum, quibuscum infantum modo ludebas, naturae; „ quo minime cogitaveras, tempore, studuisti. Sic; „ cum hortulo, in quo plantae officinales, studiosorum „ in usus, colebantur, praefixus a Principe fuissem; „ hortulanum te ridens substitui puerulum, ---- & cum „ LINNAEO ludentem, prima *botanices* rudimenta „ avide haurire gaudebam. Tandem, crescentibus an- „ nis, non neglectis, quae educationem tam physicam; „ quam moralem concernerent, ut ipse ego in medicae „ artis te informarem principiis, aulam *Spirensem*, cui, „ sorte non iniqua, Archiater constitutus fueram, cum „ *Goettinga* commutavi: qua in regia atque literarum „ subsidiis instructissima Academia, felicior tibi, fra- „ trique tuo, studiorum campus pateret. Hic vero, „ cum tenera labores serios aetas needum permitteret, „ atque tum linguarum, tum alia tibi studia incumbe-

„ rent,

rem clarioris promtus suscepi; vel cum ista nimis latere videretur, tempus, propriamque experientiam, meliores me ipso magistros, prolibus substitui.

Talis erat animorum apud eos, qui Medicinae in Ticinensi Academia operam navabant, dispositio, cum anno 1792 *Ioannis* BRUNONIS elementa medicinae (ignotum fere antehac in Italia non minus, quam in ipsa Germania, opus) cura Viri clariss., *Petri* MOSCATI, Mediolani recusa prodirent. Iam ante huius libri notitiam, tum mihi, tum D. *Vincentio* SOLENGHIO, versatissimo in rebus medicis, chirurgicisque iuveni, meoque per sex fere annos tunc auditori, ex Anglia per-

---

„ rent, historiae naturalis Ill. celeberrimumque BLU-
„ MENBACHIUM explicantem principia audivisti;
„ neque caeterorum interdum, qui florentissima illa mu-
„ sarum in sede cum tanto applausu scientias tradunt,
„ Virorum, imprimis amicissimi, praematura eheu mor-
„ te erepti, MURRAYI, in quantum puerilem non
„ superabant captum, lectionibus defuisti; atque sic,
„ apum in morem, mellis ex floribus obviis paululum,
„ & quantum tenerae capiebant fauces, suxisti. In *Ita-*
„ *liam* tecum transvectus, continuato linguarum, tum
„ latinae, tum gallicae, anglicaeque studio, non modo
„ illustrissimorum Professorum, qui hac in Academia
„ cum tanta celebritate scientias interpretantur; sed pa-
„ thologicis sectionibus vix non omnibus, & clinicis
„ etiam laboribus, ut sic in ipsa natura morborum stu-
„ deres imaginibus, frequentissime interfuisti; & non
„ modo meis circa haec omnia, circa indolem & cura-
„ tiones morborum, paternis explicationibus continuo
„ usus es; sed & in mathematicis, doctissimi DE' FE-
„ LICI, ---- in chemicis & illis, quae materiam me-
„ dicam, & Botanicen concernunt, egregiorum MA-
„ RABELLII, NOCETTII, & SCANAGATTAE
„ exercitiis literariis & ostensionibus, ultra quam de-
„ bueras, erudiri voluisti".

pervenit *Roberti* JONESII opus (*a*), BRUNONIS principiis innixum. Eodem fere tempore egregius alter ex meis quondam discipulis, *Onofrius* SCASSI Genovensis, Edimburgicam Elementorum BRUNONIS editionem, ex Scotia secum in Italiam transvectam, filio meo mutuam concesserat. Mihi quidem, utpote quem opus BRUNONIS adhucdum latebat, non satis primum arrisit JONESII liber, eiusque hinc aliud in tempus lectionem distuleram. Non ita vero cum dictis, & aliis quibusdam, ex melioribus certe, scholae Ticinensis tyronibus successit: ut qui novam doctrinam, studio in hanc communi, avidissime suxerunt, atque, improbo mehercle labore, asperrimi sermonis, plenumque obscuritatis opus BRUNONIS interpretari, & cum receptis hucusque in arte principiis solerter conferre studebant. Lux nova tandem affulsit laborantibus. Acuti scilicet iuvenis ingenii, D. *Joannes* RASORI, libro aut ipsius BRUNONIS, aut viri alterius, discipuli, anglico sermone conscripto (*b*) potitus, hunc mox italico sermone donatum evulgavit, simulque commentatus est (*c*). Tunc etenim plures in opere BRU-

(*a*) An Inquiry into the state of Medecine on the principles of inductive philosophy. Edinburgh 1781. 8.

(*b*) Observations on the Principles of the old System of Physic exhibiting a compend of new Doctrine. The vvhole containing a nevv account of the state of Medecine from the present times, backvvard, to the restoration of the grecian lerning in the Western parts of Europa. By a gentelman conversant in the subiect. Edimburgh 1787. 8.

(*c*) Compendio della nuova dottrina medica di G. BROWN, e confutazione del sistema dello spasmo, tradotti dall' Inglese coll' aggiunta di alcune annotazioni e d'un discorso preliminare da G. RASORI. Pavia 1792. 8.

NONIS loci vel intellectu antehac difficillimi, vel, ut primum videbatur, sibi prorsus contrarii, claritatem acquirere, verusque dictorum sensus elucescere coeperunt. Augebatur nunc indies, quemadmodum in schola quondam Edensi contigerat, eorum, qui opera BRUNONIS diu noctuque versabant, numerus. Fuerunt, ut fieri consuevit, quos novitas rerum & maior in receptas a scholis doctrinas reverentia, — fuerunt, quos novus, quem novum sibi systema exigebat, labor, — fuerunt denique, quos manifesta satis hincinde Scoti Scriptoris recto veritatis a tramite, & a claro experientiae sermone digressio, maiorumque suspicio errorum absterruit. Hinc magna inter tyrones disceptatio exorta est, cuius sibi partem mox alii aliique, nec foeminis exclusis, sumserunt; atque omnium in ore vel solus erat BRUNO, vix idem tamen omnibus; sed istis, Vir protinus divinus, primusque verae auctor medicinae; — aliis vero alter PARACELSUS, & omnium in arte medendi errorum parens & uberrima origo.

Videbam haec, nec tamen mirabar, iuvenilis nimirum fervoris, & magnae in res novas propensionis non inscius; nec me clamosis his litibus miscere, ac BRUNONEM, quem certe nec ego quidem a prima lectione satis capiebam, aut defendere, aut erroris arguere volebam: hoc solo, quod nullum tyronum a solita vel quidquam remitteret diligentia, contentus. Ab eo scilicet tempore, quo suum vel quivis novo systemati studium intensius dicaverat, augebatur indies, quod antehac fieri vix posse credebam, singulorum, observandis in morbis, & clinici ad lectos Instituti, sedulitas. Maior nunc omnium, quam pridem, in *caussas* morborum, & in praeviam his corporis *dispositionem* (*opportunitatem* iam, — sed certe non rectius, dicebant) in cibi, potus, atmosphaerae & ipso-

& ipsorum medicaminum in aegrotos actionem (etsi studii huiusmodi necessitatem nullum non docuerit medicinae systema) attentio.

Nec id, quod Tyronum haud paucis doctrina BRUNONIS arrisisset, vel ullius ex istis consueta in Praeceptorum fiducia imminui, — sed potius quotidie augeri videbatur. Sat rari huius, primo aspectu, phaenomeni caussa me omnis latere non potuit. Etenim a quo tempore in Ticinensi academia celeberrima docendae non minus speciali, ut vocant, therapiae, quam artis exercitio ipsius, ac erudiendis ad lectos aegrorum tyronibus praefixus fuissem, studium a me omne in eo fuit positum: ut in caussarum, quae morbos inducunt, eruendis effectibus, maiorem *solidorum*, quam hanc usque in diem in Italia factum esset, rationem habendam esse ostenderem. *Fluidorum* quidem vitia non penitus excludens, partem tamen istorum fere maximam secundario magis, quam primario effectu & solidorum e culpa scaturire hucusque docueram. Oportuit hinc maiorem a me *principio*, ut appellant, *vitali*, quod suam in solidis vel maxime sedem agnoscit, auctoritatem concedi, atque istius in effectus ac principalia phaenomena sollicite magis descendi. Quamvis vero, sub hoc labore, & fibrae muscularis, & pulpae nervosae, a stimulo mutatae, diversas actiones considerans, *irritabilitatem* a *sensibilitate* cum aliis distinxerim; argumenta nihilominus eorum, qui utriusque functionis rationem in uno eodemque principio latere contendunt, — & quam incertum sit humanum de rebus tam abstrusis iudicium, nequaquam reticui; sed hoc in unum mentes discentium converti: utramque, tum fibrae irritabilis, tum nervi sensibilis actionem & a stimuli defectu *languere*, *mutari*, a recto, moderato, *extolli*, & ab impetu illius iusto maiore (fulguris,

ac

ac ignis violenti exemplis, vel nulli ignotis, utens) *deleri*.

Atque in his quidem ab illis, quae passim iam ab Anglis & a Germanis statuebantur, principiis perparum recesseram. Non ita vero de mea circa proximam *febris*, ut aiunt, *putridae* caussam opinione dicendum erat: ut quam caussam germani scriptores in *putredine*, aut saltem in manifesta ad istam humorum dispositione, vix non omnes, ita quaerebant: ut & acida, tam vegetabilia, quam mineralia, & sic dicta *antiseptica*, non ex alia ratione, quam ut suppositae putredini resisterent (PRINGLII, aliorumque experimentis cum carne *mortua* institutis suffulti) hoc in morbo praescribi iuberent. Non unam vero, sed plures ego caussas *febri putridae* (quam a febre Auctorum *nervosa* non esse distinctam, nec putridum in sua origine olere, contenderam) talesque statueram: quae omnes principium vitale plus minus deiiciant. Cum vero ipsas quoque febres, quas *inflammatorias* cum aliis nominabam, vel neglectis auxiliis, vel sub methodo stimulante, in *febrem nervosam* haud raro transire, communi experientiae innixus, faterer; monueram simul, tam ipsum hunc effectum, quam partis inflammatae gangraenam, ex virium vitalium, vel ipsius vi caussae morbosae, vel artis incauto conamine nimis intensarum, actione haec contingere. Etsi vero classem morborum illam, quae *febres* constituit, duos in ordines, quorum primus *intermittentes*, alter *continuas* comprehenderet, diviserim; ac tria cuivis ordini febrium genera, unum *nervosae* scilicet aut simplicis, — alterum *gastricae*, — ac tertium demum *inflammatoriae* subiunxerim; monueram nihilominus tyrones, me parum a CLARKIO, qui *unam modo febrem*, ac notas species, *typhum* nempe ac *Synocham*, diversas modo eiusdem modifica-

tio-

tiones esse docuerat, dissentit; atque dum *gastricae* aliquam adhuc auctoritatem febri concessissem, arctioribus tamen longe hanc limitibus, tum in meo *de larvis morborum biliosis programmate*, tum in recentiore *de curandis hominum morbis Epitome*, circumscripsi, & , quod magis interest, hos limites, ipsos aegrotantium (quos *gastrica* alii *febre* vel continua, vel intermittente laborare dixissent) ad lectulos, ab ipsa natura confirmari, innumeris nunc longe curationis, sine ullo emeticorum purgantiumve auxilio institutae, sed cum solis roborantibus peractae, exemplis ostendi.

Videram scilicet spatio annorum triginta, quo curis aegrorum in septem & *Galliae* (*a*), & *Germaniae* (*b*), & *Italiae* (*c*) provinciis sollicitus inter-

---

(*a*) Absolutis nempe in Academiis *Mussipontana*, *Heidelbergensi* ac *Argentoratensi* studiis, & conspectis non paucis in ultimae huius urbis nosocomio maiore aegrotantibus, post brevem in Patria moram, in comitatu ac urbe *Lotharingae Bitensi*, annis 1766 & 1767, artem exercui, & medicorum illius provinciae catalogo inscriptus fui.

(*b*) Sub finem anni 1767 ad Thermas *Badenses* in Marchionatu, ut Medicus, constitutus fui. Protophysici hac in urbe ac pluribus in locis vicinis munere fungebatur tunc BELLONIUS, STAHLII quondam discipulus, sed viribus iam fractus ac fere impotens. Huic igitur viro substitui me voluit Regimen inclytum Badense. Anno vero iam 1769 *Rastadium* vocatus, medici hac in urbe aulici officio ad annum usque 1772 sum functus. Tunc *Bruchsaliam*, in Episcopatu Spirensi, accersitus, primo quidem Protomedici, stipendio ducti (*Stadt-und Landphysicus*), dein vero Archiatri officio praefixus fui. Per decem hic annos publicae docendae rei obstetriciae onus mihi fuit impositum, quo tempore partim quoque iuvenes chirurgos in rebus anatomicis, physiologicis, ac botanicis institui. Anno 1784 in *Georgia Augusta* Professoris Clinici munere condecoratus fui.

(*c*) Anno 1785 *in Italiam* vocatus, per decem annos cum

terfui, quod pristinis medicinae insomniis vix quodammodo expulsis, mox nova his succederent, & quod sensim sine sensu morborum vix non omnium ratio sanandorum, in *solventibus*, *emeticis*, ac alvum continuo *purgantibus* remediis poneretur. Primis quidem annis, propriis cum alis aerem fendendi imperitus, praeceptorum sancta mihi monita fuerunt, Virorumque, scriptis & fama clarorum, auctoritatem pie venerabar. Cuius vero magis interesse debuerat, populus, mea quidem benigne ferebat in arte conamina, ac distinctum suos inter medicos mihi locum ubique cedebat; sed frequens nimis mihi propriae tenuitatis agnoscendae oblata fuit occasio. Laudati haesit animus viri, nec tamen meae partem inscitiae non adeo vel mihi, vel arti, — quam hausto in scholis lacti malesano adscribere audebam.

Interea in illud, num scilicet felicior esset morborum eventus sub cura eorum, quos in artis exercitio me longe seniores esse noscebam, credebamque doctiores, animum referebam & oculos: nec habui cur a facto erubescerem examine. Oppressae vix non, rediere vires, ac decem iam annis innumeros inter aegrotos peractis, eorum vero, quae Veteres, quae recentior aetas docuissent, minime ignarus, propriis nunc magis, etsi vacillarent, quam alienis, incedere pedibus malebam. Ubicunque hinc foveas, in quas primum incideram, conspexi, vulgaribus artis, quae lapsum arcere non potuerant, praeceptis, diffidens, vel solus

---

cum dimidio in *Ticinensi Archigymnasio* Medicinam docui, donec iterum, anno scilicet 1795, in *Germaniam* accersitus, eadem mihi Vindobonae concredita fuerit docendi provincia.

lus meliora quaesivi: vel aurem contraria cocentibus, magis quam antehac apertam, porrexi. Frequens mihi tunc in febribus, quas *gastricas*, vel *putrido-gastricas*, omniumque communissimas esse cum aliis putaveram, — frequens in profluviis, — ac in illis, quas spurias biliosas vocant, inflammationibus, frequens haesitandi occasio fuit: donec paucos post annos, signorum plurimorum fallacias gastricorum protinus perspiciens, meliorem certe viam iniverim, aegrotantium, augendae alias indies, debilitati, ex qua ipsa illa cohors symptomatum prodibat, pepercerim, ac promptius roborantem ad methodum confugerim. Haesit interim diu vanus animo timor, & quatuor vix post lustra, aegrotorum ad lectos absoluta, quem nimia communem in usum fiducia in me aluerat, antiquum errorem deposui.

Quodsi vero evacuante a methodo his in morbis non parum recesseram; aliam quoque longe opinionem mihi de *diebus criticis* morborumque solutione (humoralis magna ex parte commento pathologiae) suggesserat ratio rerumque magistra, experientia. Non amplius ego febrem, *naturae conamen, quo noxia expellat*, vocandam esse, — non alias amplius aegritudinum, quam ipsius sanitatis, — non alias abigendum, quam creandum, subeundum ad morbum leges, vel arcana naturae in animalis conservationem consilia existere, — non amplius specificas, ut vocant, remediorum in hanc magis partem, quam in aliam, istarum quasi nesciam, vires, nisi propriae illius structurae, ac sensui specifico innixas, admittendas; — non *locales* amplius morbos curamque cum illis *universi systematis* confundenda esse, docueram &c.

Non erit igitur, qui iuste miretur, scholae medicae tyrones Ticinensis a doctrina BRUNONIS, quae

quae praeceptoris illam tot in punctis attingeret; longe minus, quam alios quoscunque (*a*), abhorruisse; etsi non paucos ex illis in omnem Scoti Scriptoris theoriam sese paulo incautius praecipites dedisse, fatear libenter. Illius vero phaenomeni, quod, etsi non pauca essent, in quibus meum BRUNONI consensum negaverim, non ideo tamen suam mihi discipuli fiduciam arripuerint; alia mihi, praeter dictam, ratio subesse videbatur. Nec enim hos latuit; BRUNONEM ab eo temporis spatio, quo scholis valedixerat, morbis haud multis, ut medicum, interfuisse. Nec ea fugit tyrones cognitio, dilectum sibi, ac ipsius scholae Edensis alumnis; scriptorem, a suis quondam magistris ingratitudinis; vitaeque minus sobriae a multis accusatum fuisse; splendidamque licet in Scotia pridem doctrinam, longiore tamen temporis intervallo exiguas modo, vel ipsa, tam vicina; in Anglia, radices egisse: quae singula & turbidam ac impuram aliquomodo novae doctrinae scaturiginem, & systema longioris ac multiplicis fulcro experientiae destitutum non paucis prodere potuissent. Accessit & illud, quod vix perspecta satis nova doctrina, non pauci sese pro viribus eidem opposuerint; alii, prout res humanae ferunt; ingenuo veritatis amore, — partium alii, aut novi-

(*a*) Fassus est talia ex primis atque potissimis BRUNONIS asseclis unus, dicens: „ *Sono certo che se sono per esservi de' valenti Browniani, questi saranno piuttosto gli allievi di* FRANK, *che di qualunque altro Professore* “. Lettera del Dottore *Vincenzo* SOLENGHI ad un suo amico; intorno la dottrina medica del Dottor BROWN. Vid. Nuovo Giornale della più recente letteratura medico-chirurgica d' Europa. N. 11 Febbrajo 1796 p. 96. 97. Atqui tamen Cl. RASORI nunquam ex meis, quod sciam, fuit discipulis.

vitatis cuiusvis odio impulsi, alii demum ut proprias doctrinas, suaque ex istis nomina, quibus novum & fere in omnibus contrarium systema ruinam minabatur, ab interitu salvarent.

Atque hoc demum temporis puncto, hac sub animorum dispositione iuvenilium, ex qua parte veritas iaceret, ad lectos aegrorum ostendere, mei esse officii sentiebam. Non unius vero diei opus hoc erat; sed aliam mihi viam, illa, quam animi fervidioris ac in docta, ut vocant, litigia magis propensi homines calcant, tutiorem, praefixeram. Iam primi tyronum aestus sub diuturno quidquam examine deferbuerant: — iam plura, quae soli BRUNONI incaute nimis adiudicaverant, suis redhibueram inventoribus; — iam notabiles hinc inde naevi illius in doctrina (quam nec ipse quidem Auctor ut numeris omnibus absolutam perfectamque venditaverat) discentium in oculos assurrexerant; — iam summae, quae novum quoque systema partim premunt, difficultates venerant in conspectum, ac in his omnibus eruendis, non sine aliqua humanae mentis cognitione incesseram; cum *Ticino*, semperque mihi charis in alma scientiarum hac sede discipulis valedicere, ac Patriae me sinui dilecto restituere debuerim (*a*). Interea, post innumeras in ipsam BRUNONIS personam non minus, ac eiusdem in discipulos, quam in Viri huius doctrinam, invectiones, diversis Germaniae diariis medicis commissas, Vir celebris, M. A. WEIKARDUS, specimen medicinae edidit systemati BRUNONIS accommodatum (*b*), in

(*a*) Die 16 Ianuarii 1795.

(*b*) Entwurf einer einfacheren Arzneykunst oder Erläuterung und Bestätigung der Brownischen Arzneylehre. Frankfurt, 1795. 8.

in quo, *universum* hoc systema, utpote propriis, quas iam antehac manifestaverit, opinionibus magis conforme, defendendum sibi assumsit. Ab eo fere tempore rerum scena mutata, spesque omnis dissidii Eruditos inter amice componendi, amissa fuit. Litigiis ego saltem tam acribus, & in quibus nulla decentiae habetur ratio, & in quibus, quacunque demum ex parte steteris, etsi claros in arte Viros ad latus habeas, nec amarissima desunt convicia, nec reciproca vituperia desunt, interesse constanter recusaverim. Silui hinc, dum me BRUNONIS *asseclam* nuper dixisset Auctor epistolae diario medico-chirurgico *Salisburgensi* insertae (*a*); — atque dum alter, eodem in diario, BRUNONI me *contrarium* esse assereret (*b*), tacui; nec certe in arenam tam limosam, in qua plurimum opprobrii, honoris nihil quaerendum esse potest, vel unquam descendam.

Etsi vero tam indecoris ego bellis misceri nec possim, nec velim; non tamen idcirco meam in re tam gravi opinionem prorsus reticebo: sed paucis & muneris mei ratione inductus, & publice ad id faciendum provocatus (*c*), dicam quid sentiam.

Quam plumbeo ars medica pede ad eam, quam prudenter exspectare mortales queunt, perfectionem accedat, omnibus est notum. Quodvis fere sua hanc in artem merita decantat seculum, — spernit haec sequens, suisque insane commentis superbit. Hypothesis trudit acerbe hypothesin, ac sub

---

(*a*) Salzburgische med. chirurgische Zeitung, Jun. 1796 No. 16 p. 248.
(*b*) L. c. Nro. 48 p. 399. 400.
(*c*) Journal der Erfindungen 15 Stück.

sub istis, humanum languet, suspirat, ac misere opprimitur genus. Tam tristis caussa phaenomeni non una quidem est; potissime vero huc facit communis illa ingenii humani ab eo, quod *simplex* est, aversio, & ingens in res, quae docte sibi apparent compositae, propensio. *Simplex*, *sigillum veri*, dixerat Vir magnus, BOERHAAVIUS; nec tamen a doctis sibi cavit satis ambagibus. Elementorum, quibus medica superstruitur scientia, infinitus pene est numerus; interea cum orbis una alterave lege volvitur universus. Quo fato demum contigit, quaeso, ut vir nunquam certe *medicus*, meliores nobis, — qua scilicet ratione medicina maiorem certitudinis ad gradum evehenda sit, regulas tradiderit, BACO VERULAMIUS? Atqui has BRUNO leges sequi contendit: .... veritatem num hoc sub labore attigerit, num vero ab ea aberraverit, ardua, nec a quovis mehercle solvenda est quaestio; sed aliquam, vel hoc ultimo in casu, sibi laudem hoc magnum conamen merebatur; — vituperium, contumelias obtinuit. Quousque tandem, Dii boni, obiectatio tam vana tamque futilis valebit, ac illa est: hominem poculis hinc inde, magis, quam par erat, indulsisse, — carceribus ob debita, quo nil facilius in Anglia est, detrusum haesisse, — ingrati a suis quondam praeceptoribus animi accusatum fuisse!... Adeone humani vis & perspicacia ingenii ab istis pendet, ut si verum, etsi magistrorum sententiis contrarium, quis dixisset, hoc verum esse vel ideo cessaret?.... Qua lege, precor, discipulus, ut praeceptoris in verba iuret, nec istis, meliora edoctus adversetur, tenebitur? Forsitan in modo, quo id factum est, culpa fuit BRUNONIS; sed cum tantae literatos inter viros rixae ob res exigui admodum momenti quotidie nascantur, in quibus, ubinam stet veritas, vel sub

vita dimicantium, tam difficile est eruere; num forsitan levioris erit laboris iudicium de mortuis, qui suarum rationes actionum adferre haud queunt, hominibus? ... tam certam quis, & omnis erroris immunem CULLENII doctrinam pronunciaverit, ut qui eandem paulo acrius aggressus est, mox laesae gratitudinis crimen commisisse censendus sit? Crassioris BRUNONEM eiusque asseclas ignorantiae adversarii accusarunt; sed reciprocos, ab omni aevo, doctorum ob usus, obtusa iam nimis haec tela sunt, nec facile quemquam, nisi aliis, acutioribus, suffulta, ferire queunt. Certe quos ego saltem proprios inter discipulos BRUNONI magis adhaesisse expertus sum, hos iam pridem felicioris ingenii ac indefessi magis studii laudem apud omnes sibi meritos esse intellexi; nec ideo hi, nisi omnia me fallant, quod res minoris esset operae, BRUNONIS sese doctrinae dederunt; sed omni prius medicae apparatu scientiae probe instructi, hanc partem aggressi sunt. Estne vero tam exigui hoc ipsum systema laboris? .... Quodsi numerum eorum, qui confutando huic systemati vires, quas poterant, vix non frustra voverunt, — si copiam illorum, qui nequidem capiendo BRUNONIS, obscurae sane dictionis viro, se pares esse, suis in scriptis monstrarunt, considerem, dubitare licebit. Per annum saltem, & ultra, quamvis novae horas non paucas impenderim doctrinae, plura tamen istius me puncta latebant: nec ipsum WEIKARDUM, qui patrio BRUNONIS elementa sermone reddere conatus est (*a*),

aut

(*a*) Johann BROWNS Grundsätze der Arzneylehre, aus dem Lateinischen übersetzt von M. A. WEIKARD. Frankf, 1795. 8.

aut rem acu semper tetigisse, aut mentem Auctoris ubique assecutum esse video; nec aliter de ista, quam de omni alia medicinae *theoria* dicendum est: quod, etsi quis hanc calleat; non tamen idcirco mox in ipso rerum ad lectos agendarum exercitio versatus esse possit. Sed quamvis haec ita se habere concedant, id saltem sine dubio verum esse obiiciunt: quod BRUNO diversos artis medicae ramos, *anatomes* exemplo, ut minus aedificio struendo necessarios aspexerit, ac proinde tyrones a verae tramite scientiae abduxerit incautus. Atqui tamen ipse hic auctor divi MORGAGNI, de sedibus & caussis morborum, opus omnium in manibus esse, ac diu noctuque volvi iussit; quod si tyrones sequi praeceptum velint, illius ingenium ac vires, qui MORGAGNUM, quin studium anatomes praemiserit, intelligat, laudabo. Morbos quoscunque, iisdem, ac ipsam sanitatem, a caussis, nonnisi gradu illinc peccantibus, pendere, Scoti systema docuerat... & hoc idem, studium functionum, quae sano in corpore contingunt, & qua hae lege, & quomodo regantur, ut inutile, reiiceret? Si quis alius, certe BRUNO, vel maxime ad caussas morborum (symptomatum, ut rei magis ambiguae, parum curiosus) respexit, atque illas, quas *occasionales*, & *proximas* dixerunt pathologi, in morbis totius systematis non nisi gradu ac tempore differre ab iis, quae corpus ad istos *praedisponerent*, conclusit. Caussarum interim, quae morbos generales inducunt, insignem exercitum, quemadmodum opposita his recuperandae salutis subsidia, in duas modo classes, — quarum una minus, — magis altera incitaret, ac mutua sibi praelia inferret, divisit... Talem ideo malevoli, BRUNONIS theoriam, — quae aliis, quam lanceola & alchoole, auxiliis vel minime indigeret, esse dixerunt. Quo

vero iure id dixerint, ego quidem haud satis perspicio. Nec etenim auctorem hunc latuit, praeter communem ac generalem stimulantium effectum, oculos a luce, ab aere percusso aures, cantharidum ab acri renes, glandulas parotides a mercurio, magis quam partes alias, — alium scilicet in modum constructas, stimulari, vel incitabilitate, ut vocat, propria, aut specifica, gaudere. Nec fugit BRUNONEM, ipsis concessa vetuiis, cognitio, non omnia ab omnibus perferri. Nec oblitus est monere: quod pars, uno eodemque a stimulo vix amplius movenda, ab alio tamen, atque diverso, novo quasi calcare sibi addito, in actionem ducatur (*a*).

Sed *novi systematis* nomen, in quo BRUNO gloriatur, quia aliam, quam antiquam illam ac pertritam THEMISONIS, de *adstricto* & *laxo*, theoriam recoxisse credatur, indigne tulerunt. Oportuisset ante omnia, hanc ad litem dirimendam, quid *novum* sit, definiri; nec ullum enim systema, quod penitus & in omnibus ab omni alio diversum sit, in medicina aut fuit, aut futurum est. Recoctus etiam, & vel ante diluvium, nec postea, appositus, modò nutriat, cibus, ubi summa penuria melioris est, reficit, & per me licet, *novus* appelletur ASCLEPIADIS, THEMISONIS doctrinas, EPICURI systemati innixas, ex aliena magis, quam ex propria relatione habemus perspectas. *Atomos* ille, ac *vacua spatiola* explicandis corporum originibus ac modis sufficere, & ex debito illorum motu ac recta cum istis proportione *sanitatem*, — aut in casu contrario, *morbum* consti-

(*a*) „ Confectam quoque uno stimulo incitabilitatem „ novus quilibet elicit. " Element. §. 30.

stitui, docuerat. Tres fere alter, si *Cornelio* CELSO magis, quam GALENO fides est habenda, corporis humani conditiones, *adstrictam* scilicet, *laxam*, atque *mixtam* dari supposuit. Nullam vero haec aetas, nullam antiqua methodicorum secta principii vitalis habuisse videtur notionem, nec sane irritabilem fibrae muscularis, aut sensibilem nervorum indolem distinxit, aut suam ex istis, quod ex utrisque coniunctis fecit BRUNO, theoriam repetiit (*a*). Ipsa iam BOERHAAVII, tam egregia, de fibrae aut debilis & laxae, aut rigidae ac elasticae nimis, morbis, doctrina, perparum cum illa Methodicorum de adstricto & laxo habet commune (*b*). Atqui nec recentior quidem haec doctrina cum illa BRUNONIS conspirat; ut qui fibrarum *cohaesionem* aequo vel debiliorem, vel firmiorem, minus certe, ac debuisset, considerans, omnes stimulorum morbosos effectus ex sola, ut vocat, *incitabilitate* praeter modum vel aucta, vel imminuta derivavit. Atqui haec fibrae animalis nos indoles vel ante BRUNONEM omnino haud latuit, sed ex solo hoc principio, nemo; quod noverim, omnes tum sani, tum aegroti hominis, quidquod ipsius regni vegetabilis, conditiones repetiit, ac omnem medendi rationem huic soli superstruxit. Nec certe ullus corporum leviorum

 gra-

(*a*) Plura hoc de argumento filius, in notis ad JONESII opus, exposuit. Vid. *Ricerche sullo stato della medicina secondo i principj della filosofia induttiva ec. del Dott. Roberto* JONES Vol. I. Not. 4. p. *196.* ---- *199.*

(*b*) „ Hi autem morbi fere praetervisi fuerunt, nam „ nequidem methodici dicti, quibus de stricto & laxo „ doctrina solet adscribi, de his simplicissimis morbis „ egerunt". SWIETENIUS Commentar. T. I. §. 23.

graviora versus nisum vel ante NEWTONUM ignoravit; sed ex noto hoc principio Vir hic summus systema *novum*, cui vel astra obediunt, simplicissimum, deduxit.

Quod vero tot iam ab annis tam exiles tamque tardas BRUNONIS systema radices egerit, — quod pars maior hucusque Medicorum has ipsas, inimicum ut lolium, exstirpandas esse censeat: hoc solum, illi, cui magnarum sors iniqua veritatum, ac fata HARVAEI, NEWTONI (*a*) aliorumque virorum sunt nota, novi falsitatem systematis non illico demonstrat. Ut vera sit veritas, credentibus haud indiget. Vel unius haec in ore sit, vel iaceat sepulta, sibi sufficit, exspectans diem iudicii.

BRUNONIS hucusque apologiam scripsisse Lectoribus videbor. Igiturne illius in verba Scoti & ego iuraverim?... absit, ne mihi talia vel ipso cum HIPPOCRATE contingant, BRUNONEM, discipulos, si male multatos defendo, laesi hominis conditio, ac divinae amor scientiae, quam turpis utilia molientium vexatio moratur, id exigunt. Placent utique multa, quae acuti Vir hic ingenii proposuit; sed omnia non placent. Meliora in usum traho; furfures, — nec tamen ingratus, hominis bene meriti in faciem rejicio.

Universi quidem systematis a BRUNONE constru-

(*a*) „ Non obstant le grand mérite de cette Philoso-„ phie (*de* NEWTON), & l'autorité universelle „ quell'a maintenant en Angleterre, elle ne s'y établit „ d'abord que fort lentement; à peine le *Newtonianisme* eut-il d'abord dans toute la Nation deux ou trois „ sectateurs: le *Cartésianisme* & le *Leibnitianisme* y „ régnoient dans toute leur force ". Dictionn. Encycloped.

structi examen hic instituere, ne librum magis scribam, quam proloquar, nec possum, nec volo: plura enim hoc de obiecto publice ad lectos aegrorum, coram plurimis ex omni gente discipulis, iam satis effato, non est cur meum mihi de multis silentium obiiciant. Hinc unum modo alterumve, sine magno rerum ordine, quo mea circa dictam theoriam dubia manifestem, adducam.

In ipso primum BRUNONE, dictionis, quam in aliis laudare non potui, vehementia mihi displicet. Oportet quidem ea, quae vera sunt, fortiter & cum dignitate enuntiari; sed solum veritas errorem fulminat, errantem non vibrat, & a suo amplexu, laesum, absterret. Displicet sermonis, etsi plerumque perbrevis, hinc inde tamen verbosi (*a*), asperitas, obscuritas: qua factum est, ut ipsos BRUNONIS inter discipulos, diversa doctrinae interpretatio, ac non exigua opinionum discrepantia exortae sint (*). Displicet maior, ac in rebus tam abditis simulque tam seriis, asserendis esse debeat, persuasio & securitas. Conscindit saepe nodum, non solvit auctor systematis; ac rerum etsi medicarum experientia haud maxime *instructus*, axiomata tamen condit, suisque tutus offert. Quod anglis partim Scriptoribus (linguarum, ac eorum, quae ab aliis sint

 prae-

(*a*) E. g. Element. §§. 167. 168.

(*) Clarior nunc extat BRUNONIS *Medicinae Elementorum* versio italica tribus voluminibus absoluta: *Elementi di Medicina del Dott. Giovanni* BROWN *con molte note, dilucidazioni e commenti dello stesso Autore: traduzione dall' Inglese: Opera, cui vanno in seguito nuovi commenti, ed osservazioni del Dott. Vincenzo* SOLENGHI. T. 3. *Roma*, 1796. 97. 8vo. (Editor).

praestita nationibus, satis ignaris) haud raro accidit: hoc & nostro auctori commune est, scilicet ut plura, quae nova non sint, pro talibus exponar, omnesque crassioris, in qua certe omnes non haerent, ignorantiae accusare videatur (*a*). *Irritabilitatem* atque *sensibilitatem* uno *incitabilitatis* sub nomine comprehendit, ac unam, per omne corporis systema diffusam esse docet. Etsi vero dubia illinc haud exigua supersint; rem tamen sic esse, veritatis incertus, supponam. Sed cur omnis his *solis* atque *stimuli* cardinibus vertetur medicina, id saltem non satis perspicio. Ipsius nempe principii ignoti, vitalis, *effectus* est *incitabilitas*: nec *sola* est, quae hoc mirabili ex fonte, vel solo a *stimulo*, scaturiat; nec *sola*, quaecunque naturae phaenomena satis explicat. Non etenim illa est, quae legibus tum chemicis, tum mechanicis in corpore tam potenter aut imperet, aut prorsus resistat; — quae calorem animalem sub gelu intenso non minus, quam summo atmosphaerae sub aestu, vix non semper aequalem, conservet; — quae humores ad partem magis stimulo subiectam, illico maiore cum impetu, quam ad alias, corde fere inscio, propellat; quae partibus inflammatis novas non modo membranas, sed omni vasorum genere ornata involucra circumdet; quae partes resectas, & quidem quales antehac fuerunt, organicas, restituat; — quae irritante, purulenta, puriformi materia tot in morbis ad sanguinem delata, eandem, medio ex torrente cruento, in unum quasi colligat, ac certas ad partes, iam protinus maturam, sub felici metastasi, deponat;

(*a*) Element. §§. 230. 232. 368. 412. & alibi.

nat; &c. Oportet igitur vitale principium, — etsi quoad illum effectum, quem *incitamentum* Auctor systematis vocavit, a stimulo moveatur, habere alias, quam solum *stimulum*, suarum mutationum rationes: quae, licet has nullum satis indicet systema, e *stimulo* tamen videntur non parum esse diversae.

Ipsa certe alimenta, dum corpus subintrant, tam cibi quam potus, simul stimulabunt; sed, an *stimulus* est, qui *nutriat*, ac partes amissas resarciat? . . . aut an aliud, a stimulo diversum, est? . . . quo in casu, haud facile excludendo, fateamur oportet: *quod non omnis a stimulo sit actio*, & quod ista in eo, quod *incitamentum* vocatur, non semper sit posita. Si solus vitale principium *stimulus* dirigeret; sequeretur, ut quo minor in illud hic foret, eo minor quoque actio illius esset principii. Atqui si ovum foecundum, in loco frigido, in quo scilicet perparum caloris atque stimuli est, per menses aliquot conserves, — si multorum ovula insectorum vel extremo, ac ipsum adeo mercurium, ut coeat, cogente, sub gelu, integram per hiemem, ne ulli animalis rudimenti incremento sit locus, rigere sinas, adeo non perit, quam crescere videtur, conservatrix principii vitalis potentia, ac foetus, admoto nunc sensim calore animali, vegetus excluditur.

Quodsi haec ita sint, an vera erit magna illa BRUNONIS ", quod vita corporis organici in statu eiusdem violento seu coacto consistat ", sententia? . . . de istius quidem veritate dubitare vix ausim; sed solus non est *stimulus*, non sola *incitabilitas*, sed aliud & maius principium est, quod corpori quondam infusum, vitale hoc, etsi non vegetet, esse, ac mortui legibus corporis resistere iubeat.

Placuit BRUNONI pro axiomate assumere, quod

cor-

corpori cuivis viventi certa *incitabilitatis summa* ab origine concessa sit: qua tandem consumta, mors ipsa necessario sequatur. Recto igitur stimulorum in usu longioris ars vitae est posita: parci nimis ex istis, incitabilitatem accumulant, fortiores exhauriunt: quo clarum fit, calculo subiectum esse hoc vitae pabulum, non cibis, nec ulla re alia renovandum. Sine vero incitabilitatis hanc summam esse *centum*; a morbo vero quocunque hanc, ita ut modo *decem* supersint, consumi. Sistatur in suo progressu nunc morbus: an ad *pristinam* aeger unquam sanitatem redibit? . . . si stimules ultro, non habes, quo suppleas, & eo citius, quae concessa fuit in utero, summa disparebit. Sunt tamen, quos diuturna & atrox, — non ad solum modo aspectum, sed vere ac vix non in integrum exhausit, aegritudo; sunt, quos iam inanimes per horas iurasses: qui vegeti ex tumulo quasi resurgant, &, quod magis est, vitam ea, quam antehac vixerant, saniorem longe, viribus praestantes, in decrepitam usque senectam ducant.

Duplicem *debilitatis* esse speciem, BRUNO asseruit: eam nempe, quae stimuli opportuni defectu, — ac eam, quae stimuli superabundantia nascatur, distinguens. Primam vocavit *rectam*, alteram *indirectam*, non improbando sane nomine, nuncupavit. Tertia, scilicet *apparens* modo, debilitatis est species, quam veram haud esse recte monuit (*a*); quae tamen ad lectos aegrorum haud raro occurrit. Sed cum rectius in istis versatus esse auctor videatur: est tamen, cur eum

cum

(*a*) Element. §§. 226. ---- 228.

cum primis debilitatis speciebus nimium, ac pro lubitu lusisse suspicemur.

Ac primo quidem, ea, quam *indirectam* vocavit auctor, modo paucis experimentis, si rem ipsam, quae probanda est, excipias, hucusque innotuit, debilitas. Sciebamus nimirum hucusque, fulguris ab ictu, ab igne violento, fibras animalium maiorum, irritabilitate sua spoliari; a concussione electrica, ab acidis mineralibus concentratis, a camphora, opio, ab aere mephitico, quibusdam a venenis, exterius admotis, similes in minoribus imprimis animalibus effectus obtineri; sed extremae hic status debilitatis, aut mortis in parte sic affecta ipsius, testimonium edebat ubique; nec ab illo, ad ipsam sanitatem, tam facilis momenti & tam praeceps est visa regressio. Atqui apud BRUNONEM, vel sanissimo in homine, tam continuus a prospera valetudine, debilitatis aut directae, aut etiam indirectae in statum, — & ex isto, in pristinam salutem, est saltus: ut ipse adeo *somnus naturalis*, ex directa debilitate, sanitatis inter limites haerente derivetur. Quidquod speciem debilitatis utramque, eodem in homine, ac tempore eodem, *simul posse incidere*, admiserit novi systematis auctor (*a*). Adeone vero a sola debilitate sanus pendebit somnus, ut vel solo stimulorum a defectu producatur vel superabundantia? Quotidie dormimus omnes, atque consueta recurrit periodo somnus: *quin tanta virium*, cuiuscunque

(*a*) „ Vigiliam sanam parit ea potestatum incitantium „ vis, quae utrique media extremo neque nimis ad indirectam, neque ad rectam nimis debilitatem inclinet. „ Morbosam maxime recta, haud raro indirecta, *saepe* „ *utraque mixta debilitas* infert “. Element. §. 241.

que demum indolis *prostratio*, *quanta quidem ad statum, morbo attonito, aut ipsi morti tam similem, requiri videtur, praecesserit*. A solo amnis, placide per saxa ruentis, susurru, — a musico concentu suaviore, — ab ingrata lectione, quin ulla nos debilitas invitet, obdormiscimus profunde. Tam altus tamque gravis in multis, etsi perfecte sanis ac robustis, est somnus, ut nec a tonitru, nec a bellico tormento evigilent; in aliis tam levis est, ut vel muscae a strepitu illico dispareat. Somnambuli, caeterum sanissimi, vix non quascunque dormientes, quas vigiles, actiones exercent, viresque his pares, non fractas, manifestant. Plurimi vel sponte, vel concussi, ex somno derepente ac mox in integrum evigilant... tam praeceps ex tanta virium iactura, ad summum robur foret transitus! Quodsi *vigilias*, si *somnum* attente considerem, *functiones corporis* certe maximas, sed intellectui humano absconditas, mihi sistunt: quae vitam, non sine interposito leviori utrisque delirio, duas fere in partes aequales inter se dividant. Debilitas saepe ad somnum, — ad vigilias robur, disponunt; sed, etsi *non lassus*, si licet, homo *quiescit*, ac viribus nec orbus, nec abundans, vel ob solam consuetudinem, placide obdormit. Qua demum ratione debilitas directa indirectam, vel eodem in subiecto, ac tempore eodem, non excludat, non intelligo. Ob stimuli defectum incitabilitas augetur... langueo. Accedit, qui hanc consumat, stimulus,... iterumque utroque ex malo langueo: — quo me denique convertam, ignoro.

Debilitatem indirectam BRUNO, cum stimulo, qui illi fere viribus conveniat, a quo ipsa debilitas inducta fuit, corrigendam esse docuit. Atqui ex cathedra haec imponere, quam exequi ad lectos, praecepta, facilius sane erit. Quis illati scalam stimuli hic construet? quis reliquae mensu-

ram incitabilitatis determinabit?... Non exigua interim latet hoc ipso in praecepto auctoris perspicacia; & maior sane *mox* stimulus, *sthenici*, ut vocat, morbi, tandem in *asthenicum* conversi, — quam in origine asthenici, principio, etsi hanc minus numeri, quam tactus medicus, & maior rerum experientia, definiant, requiritur.

Cum vero tantus mortales exercitus dolorum pessumdet, *sedantia* nobis BRUNO remedia rapit. *Stimulus* est, qui dolorem a debilitate exortum tollat: ac ipsum adeo *opium* hic, non aliter, quam vires erigendo sedare, videtur (*a*). Non mediocre haec quoque, licet audax ad primum adspectum, propositio auctoris ingenium prodit. Scilicet cum duobus modo punctis, stimulo nempe ac incitabilitate, omne BRUNONIS systema vertatur: oportuit sane ut omnem, quae non in illo consistat, actionem cautus excluderet. Alia, quam ut indirectam debilitatem in auxilium vocaret, via non superfuit; illam vero auctor, ut diximus, pro nutu disponit: nec defuit omnis rem ita disponendi occasio. Inhaeret certe opio non exigua *stimulandi* potestas, atque haec fere prima est, quae suum in corpus humanum effectum manifestet, liquidorum spirituosorum ab effectu non nisi maioris vehementiae gradu distinctum. Hinc nullo in morbo, qui ex totius vi systematis adaucta proficiscitur, opium indicatur, aut porrectum, actionem in illum iniquam non exercet. Calor nempe, sitis, anxietas, faciei rubor, splendor oculorum, cephalaea, arteriarum plenitudo, vibratio, continuo augentur, ac inflammationis, si quae

---

(*a*) Element. §. 230.

quae adsint, symptomata increscunt. Absolutis vix his turbis, sequuntur aliae, quae vires vitales magis esse suppressas testantur: indirectam BRUNO debilitatem tunc subintrasse, non sine specie veri, praetendit. Quodsi tamen res ita sit, oportet ab unius quoque grani; ex opio, sano homini porrecti; portione, quae somnum illico inducit, calorem ac alia sthenicae affectionis symptomata tam constanter excitari, quam constans debilitatis effectus, huius usum remedii insequitur. Vinum certe, priusquam hominem, viribus exutum, prosternat; pulsuum in eo rationem attollit, calorem corporis incendit; ac febris quasi ephemerae inflammatoriae phaenomena producit. Nisi talia in sano sequantur; hilaris, nec tumulentus, est Bacchus, ac nullas debilitatis indirectae symptomata nobis offert. Atqui ab opio ad granum unum adulto sanoque homini ingesto, sequitur quidem plerumque levis gratusque calor ac mador, & pulsuum quidquam augetur ratio; sed tanti certe haec non sunt, ut *sthenicam* quis, ac tantae quidem molis, affectionem, quae scilicet brevi passu in *asthenicam* transiliat, adesse, symptomatum ex vehementia & serie, quis dicat. Sed tamen post horam, vel citius, profunde iam dormit ac stertit homo: quem; si ex *indirecta debilitate* hunc in statum coniectum esse dixeris; oportet simul te fateri: nec violentissimam quamque febrem inflammatoriam, aequalem tamque celerem effectum edidisse, — hunc igitur caussa, quam adduxeras, maiorem apparere, & alterius longe indolis rationem huic somno morboso subesse. Quid igitur, si opio; praeter illud, quod primum stimulat, aliud, ignotum, quod vitalis partem principii, quod sensus demum obtundat doloremque *sedet*, principium inesset? ... sed optata forsitan in rebus explicandis id vetabit simplicitas? ... age vero, num tam simplex ubi-

ubique natura est, ut quaevis ex uno modo constentur corpore principio? solis radii, tam puri, & lucent, & calorem simul conciliant. Aer ipse, quem non multis abhinc annis simplicissimum vocari ac prima rerum inter elementa poni posse censebamus, compositus est, & quam una illius accendit, pars altera, lucem extinguit.

Ne quis interim BRUNONEM vilipendat, incautus, adversarium! tela enim ille, quin sibi talia exspectet, acutiora iaculabitur. Plura sunt forsitan, quae stimulo tam insigni mox agant; ut *sthenicae*, quam mitiore sub impetu habuissent, *actioni* tempus haud concedant; sed *asthenicam* illico adfectionem, iam adhibito fulminis exemplo; inducant. Ac talis revera dici posset *venenorum* non minus, quam *contagiorum* indoles multorum: ut quae, teste experientia, vel homines fortissimos, ac in morbos ex vi nimia systematis oriundos, iam diu praedispositos, aeque ac debiles, semianimes prosternunt. Est etiam, ubi opium, etsi *stimulans* remedium, in morbis ac doloribus, quos debilitas vel directa, vel indirecta induxit, consueta morbi *sthenici* nec minime producat symptomata; sed pulsuum, ex ipsa debilitate celeriorum, moderata frequentia, — calore, eadem ex ratione veniente, infracto, *refrigerantis* fere, ut aiunt, medicaminis actionem exercere ac *sedare* videatur, — nec tamen *sedet* reapse, sed corroboret, & caussam doloris abigendo, sanitatem restituat, remedium.

Ast vero; dum opii effectus, *sanum*, hinc non debilem, apud hominem obvios in superioribus adduxerim; — dum in eiusdem remedii, non tam insigni (quae indirectam debilitatem forsitan inducere mox posset) sed parca portione porrecti actionem inquisiverim; praevisa sic adversariorum insedi effugia, nec est amplius, ni fallor, cur *se-*

dan-

dantem quis neget, etsi stimulum inferre primum queant, certorum corporum quae *narcotica* vocamus, efficaciam.

De *frigoris* nunc actione in corpus animale, an scilicet, ut BRUNO defendit, illud hoc *debilitet*, an vero, quod scholae hucusque docuerunt, *corroboret*, agendum mihi foret; sed partim, sequentis auctor operis, de his iam egit filius *(a)*; partim vero, cum vela mihi tandem contrahenda sint, in *sexto Epitomes de morbis hominum curandis volumine* ex professo in ista descendam *(b)*. BRUNONIS interim de frigoris actione doctrinam, illa, celeb. MARCARDI *(c)*, egregiè confirmat, ac tristia balneorum frigidorum, debiliore iam homine, exempla quemcunque veritatis convincent. Est tamen, ut breviter hoc dicam, in quo BRUNONI, circa frigoris effectum non protinus assentiar. Frigus quidem certe nihil est, quam absentia, & quasi umbra caloris. Si, quod nemo negabit, igneae effectus materiae est positus in stimulo, qui ipsi calcar fibrae superaddit; non poterit, mehercle, frigus roborare debilem, quem paulo diutius circumdet, hominem. Sed debuisset, si recte sentio, BRUNO contractionis, quam solida quo-

---

(*a*) In notis ad JONESII opus, ex anglico in italicum sermonem ab eodem conversum. Vol. I. Not. 13.

(*b*) Iam scriptum a me fuit ante duos fere annos hoc *sextum Epitomes volumen*, ac aliqua eiusdem folia iam typis erant Ticinensibus concessa: cum medio sub opere Vindobonam vocatus, hoc ipsum suspendere debuerim. Laboribus hic obrutus, hucusque non potui pauca, quae illi addenda erant, capitula absolvere; interim, quam primum id mihi licebit, non hoc modo, sed & reliqua volumina, ---- prioribus, a viris doctissimis, tam benigne susceptis, absolvam.

(*c*) Von Bädern.

quoque viva, dum calorem istis moderate detrahimus, patiuntur, & acquisitae abhinc maioris densitatis, quae simul utique ad robur facit, non prorsus oblivisci. Maioris vero momenti est, quod *calorifica*, non aliter, quam subtilis alia, quam *electrica*, legibus aequilibrii obediat, materia. Ex corpore calente, in corpus contiguum, minore calore instructum seu frigidum, caloris illico materia, donec ambo aequalem caloris ad gradum pervenerint, *cum impetu* ruit. Hic materiae impetus calorificae cutem hominis viventis, per quam scilicet dirigitur, electricae fere in modum scintillae, exstimulat, ac sensum ingratum, quem *frigoris* vocamus, in ea relinquit. Materia hinc caloris, non frigus, hunc stimulum inducit: qui stimulus, aliquoties applicitus, nec tamen calorem exhauriens, partis, in quam agit, robur utique adauget. Aliud autem, si corpus debile, nec vero calore abundans, frigido diutius in balneo moretur, dicendum est. Hic etenim suo illud calore naturali spoliatur, ex potentiis vim vitale erigentibus potissima eliditur, ac vires, quas augere contenderas, frigidis in undis suffocantur..

Nullam fere fluidorum BRUNO, nisi *molis* (*a*) in explicanda morborum origine, rationem habuit, sed omnem in solida culpam malorum coniiciens, vel ipsas humorum mutationes morbosas huic soli scaturigini adscripsit. Etsi vero quamplurimum ab illis dissentiam, qui, more veterum, omnem fere morborum officinam in fluidis quaerendam esse putant; — & quamvis aliqua hinc inde literatorum virorum diaria eundem mihi vitio BRU-

---

(*a*) Element. §§. 131. ---- 137.

NONIS errorem verterint; non possum tamen quia contrarium hic declarem, ac valdopere mirer, ea, quae meorum tot in locis scriptorum effatus sum, ut fere plus aequo concessisse mihi videar, non potuisse cunctos de mea has circa res opinione convincere. Mediam hic quoque viam; — iliacos intra muros & extra peccari cernens, intravi; semperque credidi, vel nunquam debuisse, quod *unum* est, separatim, ut res in totum diversas, considerari, ac fluidis a solidis vivis, ut a mortuis certe possunt, distingui. Quibus vero argumentis suffultus, a veterum doctrina recedens, plùrimorum morborum ex solidi magis affectione derivaverim; — cur contra BRUNONEM ac alios, aliquam & fluidis in morbis creandis, auctoritatem concedam; huius alibi rationem iam reddidi, nec positi mihi limites, ut longius hoc opus suscipiam, permittunt.

Non minus longum foret illud, si, quae alia BRUNONIS circa theoriam in me nata sunt, dubia, hic singula proferre contenderem. Ea hinc, quae hucusque adduxi, sufficiant, locumque cedant illis, quae modum, quo ipse hic scriptor, in eruenda morborum origine ac vera indole, proprio, quod condidit, systemate usus est, concernunt.

Quodsi Viri tam conspicuo ingenio instructi ac de re medica bene meriti in opere maculas venarer; campus mihi foret id faciendi, ea potissimum systematis in parte, in qua BRUNO symptomatum variorum & caussarum, a quibus haec nascantur, rationem reddere conatur, vastissimus. Illa certe, qua in caeteris, — hic usus non esse videtur, auctor perspicacia; sed amplam adversariis superficiem nimus provide munitam, — facile tamen, si vel pauculum laboris huic operi dedisset, magis muniendam, exposuit.

Sic a *calore*, fibrarum muscularium robur ac si-

simul *densitatem augeri*, — abhinc autem vasorum omnium *diametrum imminui*, ac in cute ex toto *deleri*, auctor affirmat (*a*). Ad *densitatem* interim quod spectat, eam certe sub corporum per calorem *expansione* potius imminui, quam augeri, physicorum hucusque decuerunt experimenta. Si rem aliter in vivis succedere; ex arteriarum vibratione, duritie, tensione; praetendat; voluissem, ut & impetus humorum, caloris sub stimulo, in cor ipsum & in vasa agentis, & pulsuum plerumque magnorum, plenorum, quod alio in loco est fassus (*b*), rationem habuisset; ac simul corporis externi ad habitum, sub calore manifeste repletiorem, tumentem, rubentem, ac vasculis, quae antehac minime patebant, dilatatis ac praetumidis ornatum, respexisset.

Sic in morbillis atque variolis, quin omnibus in morbis phlogisticis, perspirationem arceri, ac supprimi, incitationem tam in summo, quam reliquo in corpore intendi, & catarrhum potissimum induci docuerat (*c*). Atqui tamen adultorum in variolis sudor fere urget continuus; in rheumatismo inflammatorio, corpus universum, — in peripneumonia, pectus, iugulum ac facies copioso sudore manant. Sub calore aestivo, nemo est, qui, etsi haud debilis, non uberius, quam hiemali sub frigore, sub victu licet ac potu copioso, stimulante, sudet. Sub motu corporis ac simul calore adauctis, cutis illico madescit, & a sudore inundatur superficies.

(*a*) L. c. §§. 113. 207.
(*b*) „ Sanguinis in vasis abundantia, haec ultra modum distendit “. L. c. §. 158.
(*c*) L. c. §. 114.

Sic " pervulgatam *plethoram* soli diathesi phlogisticae convenire, & huius magnitudini respondere (*a*), — " penuriam sanguinis musculares vasorum fibras parum distendendo, arterias exiguas, debiles ac celeres, non satis vasa incitando, efficere (*b*), " docuerat. Quodsi tamen primam de *plethora* propositionem (illam enim, quam *ad vasa* appellant, *cruoris* magis *impatientiam*, quam *plethoram*, dici vellem) facile admittam; non ideo tamen alteram ubique veram esse, ob magnas rationes, concedam. Sub ipsa nempe sanguinis penuria, sub magna systematis debilitate, sub febribus nervosis, in ipsis adeo morientibus, pulsus interdum plenos ac magnos, quidquod duros esse sentio; nec paucae sunt febres indolis phlogisticae, atque cum vera partium internarum, utpote ventriculi, intestinorum inflammatione incedentes, quae arterias nobis offerant contractas, exiguas, nec certe plenas, etsi methodi antiplogisticae ac venae sectionis summa sit necessitas.

„ *Omnium* phlogisticorum morborum adventum, inquit BRUNO, horror insignit (*c*)". Hunc vero iterum ex imminuta, per vigentem in extremis cutis vasculis diathesin, perspiratione explicat. Ad primum quod pertinet, licet morbi phlogistici frequentius quam alii cum horrore sat magno hominem invadant; certe tamen *non omnes*, quod ipse iterum BRUNO fatetur (*d*), id faciunt, ac in febribus quartanis, tertianis, debilitatis etsi plerumque progenie, frigus, illud morbi phlogisti-

sti-

(*a*) L. c. §. 13.
(*b*) L. c. §. 134.
(*c*) L. c. §. 154.
(*d*) L. c. §. 178.

stici in plurimis longe superat. Ad alterum quod attinet, non quivis certe morbus *sthenicus* vel ex suppressa perspiratione oritur, vel cum ista incedit; nec video sane, cur a perspirationis retenta materia, *frigoris* potius, quam rei alterius sensum produci oporteat.

Sitis atque *caloris* rationem auctor a phlogistica in faucium & cutis extremis vasculis diathesi (quod ex cruoris densitate quondam fecerat BOERHAAVIUS) derivat: ut quae diathesis haec ora vasorum obturet, & corporis calorem, ob retentam adhuc perspirationem, subter cuticulam accumulet (*a*). Eadem symptomata, in morbis asthenicis, ex vasorum in oris cavum hiantium atonia & laxitate a BRUNONE repetuntur (*b*). Vix opus est, ut improbabilem prorsus hypothesin refellam. Saepe nulla est sub ore siccissimo sitis; saepe hanc maximam, sub lingua, buccis, palato humidissimis, quod vel ipso in *diabete* non semel conspexi, videbis.

Sitim asthenico ex morbo nascentem, ab anorexia, nausea, vomituritione, vomitu praecedi (*c*), iterum tam constans non est, ut non singulos fere, quos vidi, diabeticos, quousque ad extremum perducti non essent, insigne prorsus ciborum desiderium prodidisse observaverim.

Nec verum est ubique "nullum cibi desiderium, eiusdem fastidium, e totius corporis debilitate pendere (*d*)". In febribus certe inflammatoriis vehementissimis cibos saepe, non minus ac

(*a*) L. c §. 159.
(*b*) L. c. §. 184
(*c*) L. c. §. 185.
(*d*) L. c. §. 186.

in morbis asthenicis, fastidiunt; in gravissima peripneumonia, nausea & vomitus continuo fere, quin aut bilis, aut debilitas in caussa sint, urgent.

Si vel quidquam limitasset, verissima foret BRUNONIS de apoplexia sententia. " Frustra, ,, inquit, in hac insimulatur *plethora*, tanquam ,, eo vitae tempore, quo corpus effoetum & pro- ,, pe exsangue est, scilicet, solo alimento neque ,, desiderato, neque sumpto, neque digesto, san- ,, guinis plus, quam florente firmatissimave aeta- ,, te, gigni potest. Contra, quo tempore apo- ,, plexia superavit, per indirectam, ex longaevi- ,, tate & nimia in vitae genere incitatione, debi- ,, litatem, firma languent, deficiunt humores, ,, fonsque eorum sanguis (*a*) ". Sed in extremis frequenter sibi placet novi systematis auctor, atque soli fere theoriae innixus, omnem, quae asthenica non sit, apoplexiam excludit. Etsi vero sanguinem a plebe medicorum in omni fere morbo apoplectico disperdi nimis videamus; non tamen latuit hucusque versatos magis in arte viros, in senibus infirmis, exhaustis, longe aliam, quam a plethora, esse mali originem. Nec latuit, eo sub vitae stadio, quo, longas post crapulas, concussa diu labescit sanitas, caputque varios in modos obruitur, — vel meliore sub corporis aspectu, fallaces esse, nec de vera semper plenitudine testari faciei rubores, inflationes, capitis & nuchae dolores, vertigines, somnolentias; sed ista non minus, quam quae his succedunt, apoplectica symptomata, ex fracta magis vasorum capitis poten-

tia,

(*a*) Element. §. 200.

tia, quam vi & copia cruoris in ista ruentis, frequenter oriri. Adeone vero hac sola in aetate, sub ac sola rerum atque caussarum conditione, apoplectici redduntur omnes, ut infantum, ut puerorum, ut iuvenum, ut media sub aetate florentium, desint, quos dirus hic morbus prostravit, exempla? Solum scilicet *encephalum* humanum, quod tantam totius cruoris partem, per vias tam rectas, assumit, — quod hanc ipsam tantis sub nixibus, aliisque circulationis adauctae sub obstaculis, in pulmones toties devehere non potest; — quod toties ab animi pathematibus vim vitae erigentibus, ab ira violenta, concutitur, — quod primum est viscus a rebus volatilibus ore assumtis affectum, quod aurium, oculorum inflammationibus, erysipelati faciei phlegmonoso tam vicinum est, — quod toties, post caussas excitantes, ab acutissimo dolore, a vertigine correptum, sanguine per nares largiter profuso, illico his a malis liberatur, — hoc solum, inquam, viscus, encephalum, ab affectibus *soporosis*, qui phlogisticae sint indolis, foret immune! . . . experientia loquatur! quae certe apoplexias non paucas vel sola antiphlogistica sub methodo fuisse perfecte dispulsas affirmat, ac assertionem BRUNONIS & in hac parte nimis generalem, vel sola quamoptime refellit.

Quod in BRUNONE circa morbos *soporosos*, — hoc in eodem scriptore circa *motus spasmodicos* & *convulsivos* reprehendam necesse est. Res scilicet, quas frequenter sic esse constitutas bene novimus: has perpetuo sic sese habere, nec aliter esse posse, mordaciter defendit. In *plerisque* affectibus spasmodicis atque convulsivis conducunt ea potissimum, quae corroborent ac vires vitales erigant: ergo *omnis* convulsio, spasmusque *omnis*, ex virium defectu scaturiunt. — Videtur claudicare

conclusio. Non me latet, — nec fugit aliquem; animalia, quae mactantur, cruore suo exhausta, priusquam exspirent, violenter convelli. Vulneratis similia hominibus, — similia puerperis ex menorrhagia perituris, — similia frequenter ex caussa quavis alia vitali principio inimica, succedunt. Fatebor ultra, ex mille convulsis, nec decimam quidem partem, alia, quam quae debilitet, ex caussa convelli. Ideone vero solam mox debilitatem pro caussa spasmorum convulsionumque unica declarabimus? a seminis nimia iactura convellimur; sunt quos Venus diu negata convellat, & ipse, quem sanus exercet, coitus, convulsio est. Dentes infantis vegeti e mandibula assurgunt. Sub febre conspicua, sub pulsu hac pro aetate magno ac duro, irritantur, rubent, calent, dolent, inflammatae sunt gingivae, convellitur. Debilitas est? . . . alvus tamen hunc iuvabit laxior, hirudines gingivis admotae iuvabunt, nocebunt irritantia. — Contagium puero variolosum inhaeret. Convellitur. Prodeunt variolae, quas diathesis phlogistica comitatur. An, quod puero convulsiones accersivit, debilitas fuit? . . . aeri calidiori hunc committe, excitantia praescribe alia, & num talis morbo caussa subfuerit, dolens videbis. — Sub media, quae hominem robustum invadit, cerebri, cerebelli, medullae spinalis inflammatione, — sub dira huius generis otitide, convulsiones sese manifestant, — sub diaphragmatis — non solius certe, sed alterius quoque visceris conspicui, incendio, risus sardonicus accedit. Debilitatem hic indirectam, iam primo aegritudinis principio, latere, hoc unum ob symptoma, iudicabis? Vir triginta annorum, floridus, Insubriae Sardae ex loco, *la Stradella*, oriundus, cruorem ex naribus hinc inde amittere solitus, ante novem fere annos, ab emetico, ob nauseas

ac

ac oris amarorem, assumto, epileptice convellitur. Convulsio disparet, succedit immunis dolorum *dysphagia*, quae novem iam per dies tam cibo, quam potui viam praecludit omnem. Clysteribus nutrientibus hominem sustentat medicus Ticinensis, Dr. MENAGLIOTTUS senior. Accersitus pro consilio ad aegrum, sub ipso oesophagi principio spasmodicam constrictionem adesse, ex eo quidem iudico: quod, post morbum convulsivum, assumta certam vix illius ad partem pervenissent, cum illico atque constanter cum impetu ex faucibus redirent. Post longam licet inediam, habitum tamen, esurientis ac sitientis valdopere aegroti, torosum, colorem faciei vivum, pulsus plenos, magnos parumque frequentes reperio. Glaciem contusam ore hauriendam propono. Hausit eam & revomit. Hirudines hinc duas narium utrique orificio unam, appono. Sanguinem hae copiosum sugunt, ac e cauda resecta, vix non ad libram, eundem refundunt. Post horam disparet spasmodica oesophagi constrictio. Recentia porriguntur, sumuntur ova; potum tam diu desideratum haurit aeger; sed altera iam die redit spasmodica affectio. Ad hirudines denuo recurritur: abigitur post horam spasmus, ac sanitas restituitur in integrum. Male forsitan hunc hominem, ex orci faucibus ereptum, curaverim? . . . Quotiescunque ego, vel sanissimus, pruritum in crure sinistro, aut dextro, experior: auris dextrae vel sinistrae, nunquam vero eodem in latere, mihi tympanum fortiter convellitur, scalpendo partem prurientem ex momento dissipando hoc phaenomeno. Debilitatem mihi pruritus, vix ingratus induxerit? . . . Cui oculi bulbus inflammatus est, huic, si oculum aperias, a lucis stimulo mox palpebra sub insigni capitis totius tensione, sub magno aurium susurru, clauditur nolenti spasmo-

di-

dice. Vel sanissimis subsiliunt hinc inde luduntque musculi hominibus. In parte prorsus syderata, si talia frequentius contingere incipiant, pro felici hoc omine non immerito agnoscimus. Et cur demum caussa, ex qua fibra muscularis, dum sana est, contrahitur, stimulus, — si fortius in morbo etiam phlogistico hic agat, non magis illam convellere posset, aut tendere? Ab ictu electrico, vel sano in homine, musculorum illico, praeviae debilitatis sine vestigio, contingit contractio, ac eodem frequentius prolecto, morbosa imitatur convulsio.

De *haemorrhagiis*, quibus proxime publicando in opere (*a*) omnem, quam sibi merentur, attentionem dicavi, alia hic non referam, nisi quod huic quoque generi morborum, ex classe phlogisticorum prorsus eiecto (*b*), limites BRUNO angustiores, quam par est, posuerit. Cruentorum pars certe maxima profluviorum, ex vi non tam aucta, quam infracta vasorum proficiscitur; & quae vel periodum observant, vel longum in tempus trahuntur: ea vix non singula debilitatem, aut istius effectus, pro sua origine agnoscunt. Sed ideo haud infrequens profluvii cruenti occasio impetuoso solidorum ex imperio subnascitur, & multae, quas asthenicas BRUNO appellat, *haemorrhoeas*, sthenicam, dum inciperent, indolem sine dubio habuerunt. Non enim (quod obiter hic moneo, ac plenius suo tempore ostendam) iactura sanguinis modo semper tam mechanico, pathologorum ac BRUNONIS ipsius ad mentem, in-

(*a*) Epitomes de curandis hominum morbis lib. V. de profluviis part. II.
(*b*) Element. §. 232.

inducitur, ut cruor vel vasorum per parietes transudet, vel nimis dilatata vasorum per ostia aufugiat, vel demum ex laeso canali nobilissimum hunc liquorem ferente, scaturiat; sed activarum, ut nominant, pars magna haemorrhagiarum *secretionis morbosae est opus*: quod a stimulo in partes secernentes nunc istas, nunc illas, magis agente, evidente perficitur, ac methodum sibi ab ea, quam morbis phlogisticis adhibemus, modo gradu diversam, sub mali saltem initio, exposcit.

Superest, ut pauca de ordine, quo BRUNO singulos totius systematis morbos duabus, quas modo constituit, classibus submisit, hic moneam. Fateor, me saepius, dum hanc partem operis considero, alium quasi ac diversum a BRUNONE scriptorem reperire: tam verum est, ad res huius ponderis rite tractandas, maiorem, quam ille habuit, experientiam requiri.

In duos quasi exercitus, morbos, — si locales ac organicos excipias, quoscunque hic auctor, non sine magnis, ut videtur, rationibus, disposuit; sed quemvis ex illis, vel *sthenici* vel *asthenici* sub vestitu, ita quidem depinxit, ut, si forsitan iste, quem asthenicos inter morbos distribuit, in classe opposita compareat; peregrina ex tribu hunc alienna in castra transfugisse putares, nec facile eundem inexpertus agnosceres. Sic *peripneumonia*, sthenicos inter morbos, ad quos certe haud raro pertinebit (perfunctorie satis), describitur (*a*), ac methodus huic classi morborum opportuna, ex loco systematis, quem occupat, indicari videbitur. Sed quoties non dira pulmones tenet inflamma-

(*a*) §§. I. c. 349 ---- 361.

matio, quae tamen ad eas, inflammatoria quas febris progenuit, comitatur, haud spectat; sed nervosa circumdatur a febre, aut, BRUNONIS ut nomen adhibeam, *asthenicae* est indolis, ac methodum excitantem sibi exigit? Idem de *phrenitide*, — quam quidem, gravissimam aegritudinem, BRUNO ita, ut nunquam eam a se conspectam esse prodat, describit; — idem de *erysipelate*, de *cynanche tonsillari*, de *catarrho*, de *morbillis*, assesueris: cum interim & *variolas*, & *scarlatinam*, & *cynanchem altam*, duplici sub loco, indolis nunc sthenicae, nunc vero asthenicae ut morbos, exposuerit, quasi ultima haec mala, sub classe morborum utraque comparendi privilegio vel sola gauderent.

Verum est, BRUNONEM monuisse: forsitan (!) & *morbillos*, variolarum in modum, ex sthenico, — asthenicum in morbum, debilitatis indirectae, aut methodi perversae effectu, transire (*a*): quod & cum ipsa peripneumonia, dum in pectoris hydropem mutetur, contingere affirmat, nec de caeteris, qui sthenici sunt, affectibus negat. Sed cum aliter directam, aliter indirectam debilitatem curandam esse doceat (*b*): oportuisset primum esse *certum*, num ipsi hi morbi, variolae, morbilli, scarlatina, cynanche, — ut indolem asthenicam assumant, mali sthenici necessario cursum, etsi brevissimum, *debeant* absolvere: quod quidem, altioris certe indaginis, argumentum vix tetigit auctor; vel, si in eo, quod omnem quoque contagium per *stimulum* operari defenderit (*c*), tetigisse videatur, non tamen rem istam,

(*a*) Element. §. 382.
(*b*) L. c. §§. 106. 107.
(*c*) §. 76.

istam, nisi vagis inductionibus, sic esse ostendit. Liceret quidem aliquo probabilitatis argumento asserere: *contagium*, fulminis adinstar, cum stimulo extremo corpus infectum excitabilitate vix non omni spoliare, ac indirectam sic ubique debilitatem inferre; sed non exigua difficultas hic obstat: quod scilicet non pauca contagia sthenicos plerumque morbos, nec adeo violentos, progenerent; — alia, nec febrem quidem accendant; — nullum vero ex illis, aliter, nisi habito insitae excitabilitatis ad leges respectu, conspicuum effectum exserere videatur.

Atqui, magnus vel in eo iam latet error BRUNONIS: quod omnem thoracis hydropem, a pulmonum inflammatione oriundum, *acutum*, quin cunctos, sine omni exceptione, hydropes (*a*), mox ad morbos asthenicos referendos esse voluerit. Etsi enim res ita in multis se habeat; est tamen non unus ex phlogosi, vel sthenico ex morbo, *hydrops vere sthenicus*, qui debilitantem, non aliam, per methodum, dissipandus sit. Simplicissimam *hydropis sthenici*, ex cruoris abundantia, ex phlogosi, aut alio quocunque ex stimulo venientis, imaginem *erisipelas* vere ac manifeste inflammatorium, simulque *pustulosum*, quod scilicet vesicis, limpido liquore admodum repletis instructum est, nobis offert. Hic nempe aquae epidermidem inter & cutem, praeter modum collectae sunt & stagnant, vel sponte rupta ex vesicula ruiturae, vel methodo certe non alia, quam quae ipsum ad erysipelas conducit, dissipandae. Repleto nimis a cruore vasorum systemate, — aut languet, aut urget nimis

(*a*) L. c. §§. 615. 625---631.

mis humorum circulus; aut vascula lymphatica suos quos afferunt, latices systemati sanguineo infundere haud queunt; aut haec ipsa, varios in modos vexata, compressa, nimis iam extensa & pigra; nihil ultra; viscerum, cutis ipsius e cellulis, diversis corporis ex caveis, resorbent; aut secretio morbosa his in ultimis creatur: qua humor vel aquosus; vel puriformis, maiori copia, & celeriter paratur, augetur, in horas, ac hydropem, quem alibi *acutum* ac *inflammatorium* vocavi, seu *sthenicum*; constituit. Frequenter ego istius veritatem doctrinae ad lectulos aegrorum ostendi, ac multos sane hydropes antiphlogistica cum methodo felicissime; quod & alii fecerunt, abegi.

Crescit scribendo rerum dicendarum moles; tempus vero ac spatium deficiunt. Hinc modo unum aut alterum, asthenicis; ut vocat, ex morbis; — ut quam BRUNO & in istis hallucinatus sit; ostendam, prioribus superaddo. *Scabiem* solius modo cutis affectionem, huc revocat; & communem corpori *debilitatem* hic in vasculis perspiratoriis praevalere defendit (*a*). Non est certe; cur tam debile argumentum, rationis, experientiae cum armis refellam. Maioris vero momenti est; *dysenteriam asthenicae semper indolis esse*, funesta facile haud paucis, affirmatio (*b*). Satis iam malorum erat; quod gastricas ubique sordes hoc in morbo populari quaesiverint, ac toties purgantibus alvum remediis abusi sint medici! nunc alter accedit, qui solis rem stimulantibus aggreditur, ac morbum, a caussis diversis pendentem, ex sola debilitate derivat. Adeone a *cynanche* diver-

---

(*a*) L. c. §. 513.
(*b*) L. c. §§. 577. 667.

versa est haec affectio, ut, cum illa, nunc sthenica, nunc asthenica esse possit; haec, solis a caussis, quae debilitant, oriretur? aliter certe ratio, aliterque experientia me docent. In *angina*, non minor ad *fauces*, — quam *dysenterico* in malo; ad *anum* & tenesmus; & calor, & ardor, & phlogosis, & morbosi, puriformis secretio humoris, observantur, ac febris utroque in morbo, inflammatoria hic, alibique nervosa, esse potest. Medios hinc quondam BRUNONIS inter asseclas, duos, ex gravi dysenteria decumbentes aegrotos in clinicum, quod *Ticini* est, Institutum suscepi. Asthenicum esse morbum, systemati fideles, ad unum omnes declaraverant; sed aliter me dolorum atrocitas, — aliter arteriae, etsi celerioris ac parum elevatae, contractae tamen & durae, conditio, — aliter hinc febris, huic profluvio coniunctae, natura, tensio abdominis, ac frequens similium affectuum observatio, cogitare iusserunt. Secta hinc, iterumque aperta fuit vena; corium in sanguinem densissimum comparuit, ac *debilitante* sub methodo, morbus, utroque in aegroto, vel quinta iam die, in totum disparuit. Crudelis, viginti octo abhinc annis, dysenteria saltatorem robustum ac expertum, *Rastadii* corripuit. Etsi aliter in scholis edoctus, cum tamen pulsus vibrantes, tormina ultra modum vehementia, tenesmum continuum, ac febrem violentam observassem, paucorum annorum tunc medicus, viam tritissimam deserere, ac paucarum dierum intervallo, septem fere libras cruoris educere sum ausus. Clamarunt seniores, damnarunt me vetulae — sanatus est aeger. Mox vero notitia, hunc morbum *Argentorati* epidemice grassari, singulos, communi, evacuante sub methodo, ibidem perire, a tentatis vero nuper venae sectionibus omnes salvari, ad urbem pervenit. Obmutuit inscitia, tacuere loqua-

quaces. Saepius certe dysentericum profluvium ex universi affectione systematis, aut per contagium, aut per caussas forte alias, vitali principio adversas, inducta, — ex maiore huius caussae ignotae in tubum alimentis subigendis dicatum, maxime vero in rectum intestinum, actione, descendit, atque a solis excitantibus, roborantibus, adiecto his opio, compescitur. Est vero, ubi, sub morbi initio, febris, indolem certo certius inflammatoriam, &, ut alii dixerunt, rheumaticam, manifestet, ac tantus intestina stimulus divexet, ut, nisi mature hos impetus, antiphlogistica cum methodo, cum remediis blandissimis, emollientibus coerceas; in febrem nervosam, ac ipsam in gangraenam, morbus, brevi temporis intervallo, vertatur. Est etiam, ubi *gastricum* haec affectio characterem assumere videatur, nec possunt laudati a Viris in arte conspicuis, & mihi ipsi hinc inde oblati, purgantium blandorum hoc in morbo, sub datis constitutionibus, effectus in totum negari. Fateor tamen, me aliam longe caussam in morbis *epidemicis*, quam *saburras*, quas unus quidem *homo* vel alter, sed integer vix *populus*, mox colliget, suspicari. Quaecunque illa fuerit, videtur ea & bilis, & muci intestinalis secretionem augere, mutare, corrumpere: quae demum ipsa, copiosius in abdomine collecta, acrioris naturae materia, secundario quasi effectu, intestina lacessit, ac stimuli primarii, affinis, actionem hic loci adauget. Forsitan & alia hic ratio latebit. Specificum saepe stimulum in parte, aufert alter, ab illo diversus, & morbosae opus secretionis, in aliud convertit. Huic fere principio inniti videntur iniectionum irritantium, in urethram, vaginam, ex morbo stillantes, effectus. *Taurini*, ante novem hos annos, a Viro quondam doctissimo, & Clinices ibidem Professore, D. LANIERI, in consilium

lium accersitus fui ad aegrum, qui ab anno, & ultra, *diarrhoea*, quae nullo sisti hucusque potuerat auxilio, laboraverat. Summa hic iam macie, & lenta febricula consumtus iacebat. Quae vero proposui, ex classe roborantium, remedia, non maiorem haec, quam pristina, effectum praestiterunt. Hominem tandem, medicorum non minus, quam vitae pertaesum, accessit empyricus, ac pulverem ex drasticis exhibuit, cuius indoles LANIERUM latebat, sed qui ex vitro antimonii cerato (cognito iam diu, & quondam his in morbis intense laudato, remedio) compositus videbatur. Hoc assumto, insigni sub abdominis dolore, alvus tam copiosa, ut in syncopen laberetur aegrotus, mortemque imminentem vererentur affines, prorupit. Rediit tamen, — non modo in vitam, sed ad perfectam, hoc a tempore, salutem. Cum haec mihi ex epistolis amicissimi LANIERII innotescerent, rescripsi: " hos ex drastico remedio intestinalem in tubum effectus, non alios mihi, quam illos videri, quos *cereoli*, sub chronica blennorrhoea, urethrae diutius commissi, exercent: quo scilicet stimulante auxilio, nova in membrana mucosa irritatio, aut quaedam quasi phlogosis inducitur. Augetur quidem abhinc profluvium; sed alterius hoc indolis & a pristino, *mucoso*, diversum ac *puriforme* est: quo, sponte cessaturo, antiqua illa secretio morbosa corrigitur ". An recte sic iudicaverim, hoc quidem in suspenso relinquo; sed certe non in sola *evacuatione*, emeticorum, purgantium, operatio consistit. Vires ea, quod recte a BRUNONE definitum est, pro humorum, quos educunt, iactura, imminuunt, & hoc modo *debilitant*. Hinc saepius, cum febres, exanthemata, phlogoses, erysipelas, profluvia ipsa, a bile, ut putant, oriunda, vel aucta, infregerunt alvum purgantia: non aliter hoc ipsum, quam vires vi-

tales, quae nimis abundaverant, coercendo, praestiterunt. Sed aliam simul abdominalia in viscera, quorum tantus cum caeteris consensus est, vehementiora imprimis, evacuantia actionem exercent; atque maior omnino, ac diversa, ubi ipsum intestinalem ad tubum sedes est mali, haec erit: qua certe ratione diarrhoea, vel profluvium dysentericum vel ab ipso, quod massam quidem humorum imminuit & quodammodo debilitat, sed simul intestinorum in tractu irritationem, aliamque hic, ac diversam a morbosa illa, secretionem inducit, remedio, interdum disparet.

A morbis universi systematis BRUNO *gastritidem* (*a*), *enteritidem* (*b*), nec minus *hysteritidem* (*c*), ac *abortum* (*d*), — pro affectibus, ut dicunt, *localibus* haec mala declarans, exclusit. Cum vero *communium* (*universalium*) morborum curationem, in *totum* corpus, — *localium* vero, in *partem* modo aegram, dirigendam esse tradatur (*e*), sequitur, BRUNONEM in morbis nominatis & febris praesentiam inflammatoriae, & methodi antiphlogisticae necessitatem, nisi certa in morbum sthenicum *opportunitas* praecesserit, ubique negasse. Quodsi talia de illis modo partium dictarum incendiis, quae violentias externas, eisdem proxime applicitas, videlicet caedendo, premendo, pungendo, rodendo agentes, pro caussa agnoscunt, affirmasset; forsitan non omni probabilitate destitutum ei ad manus fuisset argumentum;

etsi

(*a*) L. c. §§. 705---710.
(*b*) L. c. §§. 711---716.
(*c*) L. c. §§. 724--726.
(*d*) L. c. §§. 727. 729.
(*e*) L. c. §§. 6. 81.

etsi chirurgis aeque ac medicis sit notum, incarceratis, ut vocant, sub herniis, sub articulorum luxationibus, ossiumque fracturis, sub capitis pectorisque laesionibus; quas partium istarum, vicinarum, inflammationes cum febre continua, cum pulsu pleno, vibrante, sequuntur, methodum antiphlogisticam saepe non posse, nisi funesto aegrotis consilio, omitti: Sed, cum nullas excipiat, in illis adeo ventriculi, intestinorum, uteri inflammationibus, in illo etiam abortu, quae ex caussis adductis originem non habent, & quae, ex stimulis magis *internis*, quasi sponte, hominem prehendunt, — etsi febris inflammatoriae non desint symptomata; venae sectionem tamen & reliqua, quae vim vitae nimiam infringant, auxilia, novi auctor systematis reiicienda esse, — ea quidem opinione inductus, docet: quod partes *internae*, ex morbo universali phlogistico inflammari haud queant (*a*). Atqui tamen & *asthenicas universales* vel ipse hic auctor admisit partium *internarum* phlogoses (*b*), ut igitur ratio, cur & *sthenicis*, ex vitio *totius* systematis, subiectae esse malis hae partes recusent, haud pateat; & quae aeri, calori (caussis, quas BRUNO tanti facit excitantibus) ad pulmones, — haec etiam ad ventriculum non minus, quam intestinalem ad tubum, & ipsum ad uterum, via satis aperta est; — aut si foret occlusa, non desunt certe aliae, sat multae, quae fortes in parte quavis *interna* phlogoses, & quidem *sthenicas*, ac a nulla, nisi debilitante a methodo superandas, inducere queant. Verum est, plurimas ventriculi, intestinorum, — uteri non

 pau-

(*a*) L. c. §§. 81. 113. 168. 345. 346.
(*b*) L. c. §. 199.

paucas inflammationes, abortus sane multos, aut aliorum morborum esse effectus; aut suo iam ab ortu, de febris nervosae connubio testari; sed quantum abest, ut omnis partium istarum non minus, quam renum, hepatis, lienis, peritonaei phlogosis, hunc asthenicorum non modo, sed *localium* adeo ad ordinem morborum pertineat! & quam flebilis in suis effectibus esse debet generalis adeo de morbis tam ambiguis, tamque facile ac cito lethalibus, sententia!... Vereor certe, ne a BRUNONE, etsi hic, communem contra experientiam, facilem esse *gastritidis* diagnosin asseruerit (*a*); cardialgici modo colicive dolores spasmodici, pro illa, aut pro vera enteritide sint habiti; magis vero metuo, ne idem hic auctor, pulsuum in morbis asthenicis frequentiae maiori, debilitatique tribuerit nimis (*b*); utpote saepe in febribus nervosis, non tales, sed naturalibus adeo lentiores, sa-sisque plenos esse, cum aliis, detexi; cum interea sub veris viscerum, ventriculi imprimis atque intestinorum, inflammationibus, quam fallaci interdum parvitate, contractione, frequentia, latentis indolem incendii arteriae abscondant, nemo in arte expertus ignoret.

Possem sane, ut crassioris in hac etiam materia erroris BRUNONEM convincerem, ad communem summorum in arte virorum provocare experientiam; possem & meas hac in re multiplices observationes adducere; sed neminem, nisi parum in medicinae exercitio versatum, esse arbitror, quem tam contraria veritati auctoris opinio seducat;

(*a*) L. c. §. 709.
(*b*) L. c. §. 155. 156. 179. 180.

cat; nec lucem meridiano sub sole quaerendam esse existimo.

Haec igitur est mea, quam nulli obtrudam, de novo systemate sententia. Suam ferant alii, per me hoc licet, in omnibus contrariam; modo solis *clamoribus* pondus, quam esse possit, maius, nemo concedat. Recens est, quam parum hi dicant, vel in ipsa *Germania* exemplum. Comparuit nempe paucos ante annos novum *Chemiae* systema: Quae prima huic accesserit, *Ticinensis* erat studiosa iuventus, & potissimum praesentis auctor erat operis. Necdum enim academica systemati favebat multum doctrina. Magni ubique locorum tumultus, ac magna animorum, ad ignem quasi dixisses, excandescentia; quamplurima clamabant medica, — nec indecoris semper parcebant obiurgationibus, diaria; concussae resonarunt undique retortae, contremuere fornaces. Nec tamen haec fervidis metum intulerunt ingeniis: superavit labor improbus obstacula, & quas cavillatorum petulantia incusserat, — alma veritas delevit, maculas. BRUNONEM igitur qui lecturus est, " neque perfunctorie hunc legat, neque per diariorum compendia cognoscat, sed attente admodum consideret, seduloque meditetur (*a*) ", & habebit cur dicat: non exiguum in *prima* operis, hoc a viro conscripti, parte, thesaurum, quem in densissimis multorum voluminibus in vanum quaeramus, latere.

Posito scilicet axiomate: *animalia pariter ac vegetabilia, indolis ignotae principio esse instructa, quod principium* haec ipsa corpora, *accedente stimulorum*

(*a*) Pet. MOSCATI, in praefat. ad Elementa BRUNONIS.

subsidio, vitae exercendae reddat idonea (*a*); *vitam nihil aliud, nisi statum violentum, seu coactum,* — *mortem vero aut incitabilitatis, aut stimuli* (aut utriusque) *absentium, effectum esse* (*b*);

Posito altero: *incitabilitatem non in alia corporis sede aliam, ex partibus quasi conflatam, sed unam, ac universo in corpore indivisam proprietatem esse* (*c*); *hinc non posse & morbum universalem, asthenicum, & partis alicuius sthenicam affectionem, eodem in homine simul incedere* (*d*), — *stimulos vero singulos, eodem modo, incitabilitatem scilicet exhauriendo, delendo, consumendo, nec aliter operari* (*e*), — *graduque modo inter se distinctos esse, atque in secunda non minus, quam in adversa valetudine, primam unicamque functionum, ac laesionum, quae a vitio locali haud pendeant, rationem sistere* (*f*);

Posito porro tertio principio: *sanitatem a recta & moderata incitatione,* — *morbos sthenicos a maiore,* — *asthenicos vero a minore, proficisci* (*g*);

Posito quarto argumento: *hos ultimos, nunc ex stimulo extremo, nunc ex caussae sat satis stimulantis defectu, descendere* (*h*);

Posita quinta demum sententia: *quod ea ipsa, quae sthenicis affectibus curandis sunt paria, asthenicis mederi,* — *quae asthenicos producunt, sthenicos auferre queant* (*i*); — his, inquam, positis, quam va-

(*a*) Elem. BRUN. §. 10.
(*b*) L. c. §. 72.
(*c*) L. c. §. 47.
(*d*) L. c. §. 53.
(*e*) L. c. §. 15.
(*f*) L. c. §. 62.
(*g*) L. c §. 23.
(*h*) L. c. §§. 35. 45.
(*i*) L. c. §. 89.

vastus ingenio humano, quam fertilis medicae scientiae campus aperiatur, vix opus est ut hic multis enuntiem.

Alteram vero elementorum BRUNONIS partem si volvas, caute, per Deos incede! latet ignis sub cinere doloso. Ipse scilicet BRUNO, haud raro verum, quam proprium systema indicaverat, tramitem incautus deseruit, ac saepe, vel minime coactus, ex altiore, quo tutus ascenderat, loco: in profundum praecipitem se dedit. Ne tamen credas, non vera simul atque utilissima in ipso quoque artis exercitio praecepta BRUNONI deberi. Nemo sane meliora in morbis phlogisticis, — in febribus nervosis, ac in morbis a debilitate oriundis, meliora nullus & magis inter se cohaerentia, proposuit. Haec ab aliis iam fuisse tradita, si obiicias; fatebor id de multis; de omnibus non annuam, nec facile ab ullo tam pure ac tam vere id factum esse concedam.

Superest, ut de opere, quod haec dicendi occasionem mihi obtulit, pauca hic referam. BRUNONIS illud principiis magna quidem ex parte innititur; sed in sat multis auctor ab illo, veritati magis, quam humanae auctoritati obsequens, recedit, &, quae ipsi (meas, iussu Supremo, in *Ticinensi* Archigymnasio vices agenti) in Clinico Instituto, sub insigni tyronum concursu, oblatae sunt, observationes, fideliter exponit. Sunt plures inter istas, quae in artis incrementum omnino redundent; aliae sunt, quae methodi ad morbos populares curandos adhibitae praestantiam egregie manifestent; aliae demum, ne quid clinici historiae Instituti deesse videretur, aliorum simul, etsi minus altae indaginis, affectuum decursum exponunt (*a*). Quamvis enim, iam pluribus ab annis,

 mul-

(*a*) Singulae morborum istorum historiae, a diversis tyronibus, stylo non semper aequali fuerunt conscriptae.

multorum sane curam morborum habuisset, & iam per annum a supremo Insubriae Gubernio medicus, qui mihi ad lectos aegrorum in schola *Ticinensi* assisteret, atque publicus therapiae specialis hoc in Archigymnasio Repetitor constitutus fuisset, — voluit tamen auctor huius operis & publicam rerum omnium sub eius nunc praesidio gestarum rationem reddere. Non exiguus nempe, pro illius aetate, labor fuit, cathedram, in qua Viri insignes BURSIERUS atque TISSOTUS medicinam docuerant, ascendere, & patris post abitum ad lectos aegrorum, tam arduis a morbis prehensorum, sub tanta adstantium turba, non modo curantis officium assumere; sed quotidie, duas & ultra per horas, ea quae artem universam respiciunt; more hucusque recepto, edicere & sectionis, sub rerum eventu sinistro, pathologicae, in omnium aspectu, testimonium sustinere. Qua interim ratione praesentis auctor libri huic imposito sibi officio satisfecerit, non est mei hic exponere. Hoc unum tenero a patre adduci licebit: absoluto etiam studiorum unius fere anni scholastici curriculo, ac impetrato a celsis studiorum Praesidibus, honorificentissimo testimonio, a CAESARE AUGUSTISSIMO idem filio docendi munus, alterum per annum, sub magno studentium applausu, iterum fuisse concreditum.

Dabam Vindobonae die 22 mensis Septembris anni 1796.

IOANNES PETRUS FRANK.

IN-

INTRODUCTIO.

INitio fere anni MDCCXCV, quum *Imperator Augustus* FRANCISCUS II. patrem meum, *Ioannem Petrum* FRANK, Medicinae practicae & Clinices in hoc R. Archigymnasio *Ticinensi* Professorem P. O. *Vindobonam* adire, ac consiliis de re medico-militari habendis interesse, iussisset; *Gubernium*, quod CAESARIS nomine has provincias regit, me, qui patris absentis in schola medico-clinica prosequenda vices agerem eligere dignatum est: quippe qui iam paulo ante eiusdem medicus assistens nominatus fueram.

Officii splendidi aeque ac difficillimi, a summis rei literariae per Insubriam Austriacam Praesidibus, in me virum iuvenem collati honorem probe sentiens, ne fiducia superiorum me indignum vel ingratum exhiberem, singulorum, quae in Clinico Instituto praestita forent, rationem reddere constitui. Hunc ad scopum aegrorum, qui a mense Ianuarii usque ad finem Iunii Clinicum Institutum mihi concreditum ingressi sunt, historias fideliter exarare, observationes, quae ad morbos recte cognoscendos, iudicandos, curandosve quidquam conferre videbantur, certum in ordinem redigere, ac sine fuco exponere sategi. In primis autem casus rariores, aut & difficiliores, in quibus vim artis manifestius perspicias, quique instructionem praebeant praecipuam, luculenter enarrandas suscepi, curandi methodo, qua sum usus, ubique accurate indicata, & meis vel iudiciis vel coniecturis, prout eas quisque morbus suggerebat, hinc inde adiectis.

Hunc operis praesentis conspectum ac finem a doctis non minus, quam a discentibus posse appro-

probari confido quidem: sed qua ratione suscepto labori satisfecerim, hoc utrisque, diligentiae adhibitae, ac veritatis, qua in omnibus sum usus, testimonio innixus, dijudicandum relinquo. Si verum est nempe, quod haud difficulter mihi quisque concedet, scientiam medicam nulla alia re magis excoli magisque perfici posse, quam si, qui ei dant operam, studio indefesso colligant observationes veras, justas atque exactas; ex his deducant summa cautione & diligentia conclusiones, quantum fieri potest, certas; has denuo ad examen vocent, atque cum novis ac repetitis observationibus conferant; id, inquam, si verum est, laborem hunc meum spero quidpiam novae lucis allaturum esse rei medicae, & artis salutaris ulteriorem perfectionem aliquo modo iuvaturum.

Observationes quippe, quas hic exponere aggredior, ad finem propositum duabus rationibus mihi videntur accommodatae; primum, quod sub oculis multorum testium, doctrina atque ingenio praestantium, & factae, & chartae mandatae sint; tum quod modus, quo aegri in hac schola publice tractari solent, fraudis suspicionem omnem excludat, locumque neget diffidentiae, ita ut quid amplius desiderari vix possit.

Sed ut lector ipse ex se iudicium ferat, habeatque quo fidem factis, hic expositis, impertiendam firmet ac fulciat, breviter exponam, quaenam in hoc Clinico Instituto methodus, tum quod infirmorum curam, tum quod malorum, quibus affliguntur, descriptionem attinet, constanti usu teneatur (*a*).

In-

(*a*) Plura de his exposuit Parens optimus in opere, cui

Institutum, de quo mihi sermo est, duodecim lectos viris, novemque alios foeminis aegrotantibus deputatos, comprehendit. Ad hanc scholam medicinae practicae instruendam, infirmorum e nosodochio maiori, quod ter centum & ultra ex illis continet, hi prae aliis seligi solent, qui studiosae iuventutis instructioni, prout lectionum materia postulat, praecipue inserviant. Ab anni scholastici, qui a mense Novembris orditur, principio, medicinae practicae professor morbos simpliciores aptioresque tyronum conditioni sibi eligit; paulatim ac post unum alterumve mensem ad aegros, difficilioribus & plerumque gravibus iam morbis affectos progressurus, ut facile ex huius libri decursu cuicunque patebit. Scholae clinicae scilicet curam ego tertio, non prius, anni currentis mense suscepi, nimirum quo tempore plerumque aegri periculosissimis morbis oppressi, ac saepe morti quam vitae viciniores peneque exspirantes, admittebantur.

Suscepti in Clinicum Institutum aegroti curam peculiarem, iuvenem medicorum unus vel alter aggreditur, ac eundem, professore, caeterisque medicinae alumnis praesentibus, ipse examinat. Si quid aut in suis quaestionibus, quod novisse intersit, hic omittit, aut fallitur; magistri consilio dirigitur, donec ea, quae ad morbi praesentis cognitionem, ad eius prognosin, curandique methodum indicatam spectare possint, eruerit. Quae discipulorum experientiam parum adhuc firmam fuge-

---

cui titulus *Plan d' Ecole Clinique*, cuius versionem italicam dedit cl. Med. D. Lud. CARENO, Germanicam vero communicavit celeb. SALAMO TITIUS in Academia Wittenbergensi Med. Professor.

gere videntur, ea Clinices professor tum ex propriis observationibus, tum ex illis, quas aliorum industriae debemus, suggerit, ac filo ratiociniorum candidatum in viam reducit. Hisce singulis peractis, indicata remedia, docentis consensu firmata (a), schedae propriae, ad lectulum aegroti suspendendae, committi iubentur. Neque ea solum, sed character morbi, mensis ac dies, quibus hic incepit, ingressus, aetas, nomen, patria, conditio aegroti adnotantur, manu medici huic operi praefixi signanda.

Absoluta infirmorum inspectione, medicus iuvenis eius aegroti, quem curandum suscepit, lectulo assidet; quo scilicet, quae morbo occasionem dederint, iudiciove sint opportuna, melius pernoscat, atque ad succinctam morbi historiam, quam altera iam die, vel, in casu graviori, paulo tardius, ad lectum aegroti publice leget, perscribendam sese praeparet. Ab eo tempore candidatus diarium morbi per singulas dies conscribit, professor vero Clinices ad minima quaeque, si quid momenti habeant, praecipue vero ad remediorum effectus, discentium animos convertit.

Ubi

(a) Professori Clinices impositum est onus, ut necessaria pro conscribendis medicamentorum formulis praecepta ad ipsum aegrotantis lectulum discipulis communicet, ac hos ipsos utilissimo hoc in opere exerceat. Facilior haec via est ad ea, quae multis in locis theoretice nimis traduntur, discentium memoriae imprimenda. Nosodochii quidem medici utuntur pharmacopoea iam pluribus ab annis consilio eorundem communi ac Praesidis recepta; Professor vero Clinices, quamvis easdem haud raro formulas & ipse pro suis aegrotis praescribat, saepius tamen novas atque inter se diversas a tyronibus componi curat, aut quales in communi artis exercitio adhibentur, conscribit.

Ubi saluti restituitur aegrotus, morbi historiam discipulus in manus tradit docentis; sin moritur aeger, ante cadaveris sectionem, quae in publico anatomiae amphytheatro suscipitur, diarium morbi lethalis, praesentibus tum clinices, tum pathologiae studiosis, alta voce praelegitur. Pars morbosa, si quam memorabilem cadaver offert, in *Museum Pathologicum*, manu experta praeparanda, deportatur, & in morborum tum caussis, tum effectibus explicandis, sub publicis praelectionibus a clinices ac pathologiae professoribus tyronum oculis exponitur.

Est autem usu constanti hoc in Clinico Instituto receptum, ut qui aegroti sub cura indefessa medelam quamcumque recusare videntur, ne lectum, publicae instructioni dicatum, absque discentium utilitate, aequo diutius occupent, dimittantur; qui vero ex morbo superato convalescunt, si parum adhuc virium accesserit, in aliud nosocomii cubile ablegentur, reditus ad suos facilitatem expectaturi; caeteri recta domum se conferunt. Quum vero tanti intersit, aegrorum quoque *convalescentias* a medico, qui morbi curam ad has usque absolvit, attente observari; praxeos medicae candidatus, qui aegroto hucusque adstiterat, convalescentem quotidie adit, observat, ac si quid attentione dignum acciderit, suo hoc ipsum diario committit, ac praesidem clinices de singulis advertit.

Haec tyronum institutio sua simplicitate facile sese cuivis commendans, & studiosorum hoc in Archigymnasio concursu, & progressibus plusquam ordinariis in dies magis magisque confirmata, profecto non sufficeret illis, quae medicas observationes minus certas verasque reddere possent, repellendis, nisi quoque in ea, quae absente clinices magistro circa aegrotos aguntur, omnis con-

ver-

verteretur sollicitudo. Loquor de modo remedia expediendi, administrandique, de victu, de cura speciali aegrotantium, aliisque compluribus, quae conclusiones ex observationibus deducendas tam facile corrumpunt. Horum vero curam non exiguam apud nos haberi, e sequentibus patebit.

Pharmacopolium Nosocomii *Ticinensis*, ut omnium huius generis institutorum conspicuum exemplar considerari meretur. Singularis hoc in loco in remediorum optimorum delectu, rectave administratione diligentia & industria adhibetur. Chemicorum imprimis praeparationi medicaminum invigilat eximius Vir *Franciscus* MARABELLI, qui idem quotiescunque a clinices moderatore, humorum animalium, atque excretionum morbosarum analysis desideratur, hanc ipsam cum summa perspicacia absolvit.

Deinde, ne quid desit in assistentia miseris praestanda, vel in recta medicamentorum administratione, a quorum certe neglectu salus aegrotantium in nosodochiis quam plurimum periclitatur; cuivis clinices cubiculo duo concessi sunt infirmorum custodes, quorum functionibus invigilat chirurgus huic Instituto addictus. Ab anno circiter, Clinices professori adiunctus est *Medicus Assistens*, qui, eodem absente, singulis praeficitur, & ut suo quisque muneri satisfaciat, ut studiosa iuventus in conscribendis morborum historiis dirigatur, utque debitus ubique rerum ordo servetur, studium omne impendit. Nemini vero, medicinae candidatis, vel affinibus aegrorum, quos hi desiderant, exceptis, scholam hanc ingredi, nisi horis ad id praefixis, permittitur. Hac scilicet a lege quamplurima in aegros redundant emolumenta, inter quae praecipua sunt; quietis hoc in loco necessaria observatio, & ne quid ciborum vel po-

tus,

ctus, quae saluti aegrotorum obesse possunt, propinetur, cura continua.

Sub hac rerum dispositione oportet sane, ut summa observationibus in schola clinica; tot coram testibus, institutis, auctoritas fidesque concilietur. Ab eo enim tempore, quo primum Vir eximius BURSERIUS, iubentibus id summis rei literariae in hac *Insubria Austriaca* moderatoribus, praxin medicam ad ipsos aegrotantium lectulos apud nos docere incepit, Tyronum ad hanc scholam confluxus quot annis non parum est auctus. Sub illo etenim egregio praxeos medicae magistro, qui longe pauciores pridem fuerant, Auditores, ad *quadraginta* circiter & ultra numero increverunt. Adventante hanc in Academiam Viro celeberrimo, illustri TISSOTO, hic numerus ad *septuaginta* circiter adauctus est. Quum Pater post biennium Clinici curam Ticinensis in se assumeret, *quadraginta* circiter praxeos medicae in eadem candidatos numeravit. Ultimis vero his annis hic, in iuvenum medicorum plusquam *centum quinquaginta* societate, Clinicum quotidie adivit. Pars magna istorum ex diversis, tum Italiae, tum Germaniae aliarum regionum provinciis advenerat: ac inter istos, quamplurimi, qui, aliis in scholis medicinam edocti, ac diversis sane inter se oculis, de theoriae non minus principiis, quam de methodo medendi in Clinico Instituto adhibita, primo quidem intuitu iudicantes, in omnia certe, quae hanc ipsam aliis distinguerent, attentionem, quam poterant maximam, continuo posuerunt, ac ponere continuant. Haec doctrinae & opinionum in tanto candidatorum ac medicinae doctorum numero diversitas, aemulationem non parum coadiuvat, ac ut suum de natura & exitu morbi tueatur iudicium, nec quidquam, quod ipsemet non viderit, aliis concedat, quemvis impellit. Hic

ipse

ipse vero ingeniorum iuvenilium dissensus, atque innata de singulis obiectis sic aut aliter ratiocinandi disputandique cupido, singulorum de veritate observationis testimonium tanto omnino reddat necesse est, ut ab hoc communi *de factis* iudicio, ad alterum, quod maioris esset ponderis, provocari non possit. Ut vero quivis auditorum, atque omnes simul sumpti, ea, quae circa aegrotos sibi commissos adnotaverint, pro suis agnoscant, atque veritatem observationum communi auctoritate defendant, unicuique morbi historiae, quam sincere ac integre hic afferam, nomen patriamque medici, qui eandem collegit, adiungam.

Sed antequam ad rationem de morbis in clinico Instituto publice a me pertractatis reddendam accedam, brevissime aliqua, quae lucem sequentibus affundant, attingam. Non est enim exigui ad recte de his iudicandum momenti, propius perspexisse, quae coeli natura, vivendi ratio quae sit illorum, qui nosocomii Ticinensis atque clinices beneficio fruuntur; quinam his in regionibus morbi sint endemici, aut qui more epidemicorum non raro grassentur.

Primum de coelo aerisque temperie. Hanc ut melius & ad fidem faciendam accommodatius ob oculos ponerem legentibus, ad Virum clarissimum & harum rerum observatorem intelligentissimum, accuratissimumque, illustrem *Alexandrum* VOLTA, physicae experimentalis hoc in R. Archigymnasio professorem confugi, qui, ea qua est animi in omnes bonarum literarum amantes liberalitate, & in me humanitate prorsus singulari, suas de hac re observationes mecum lubenter communicavit. Eas, quo facilius sub uno aspectu positae colligantur, in tabulas infra tradendas redegi. Praemittam epistolae hoc a Viro illustri mihi transmissae, & ex italico idiomate in latinum translatae

tae, partem eam, quae tabulis praedictis praefationis loco esse potest.

„ Cum Tibi quidem sufficiat, quae atmosphae„ rae nostrae, de mense in mensem, aut de quin„ decim diebus tot sequentes in dies, ab initio „ hiemis elapsae ad ver integrum usque, consti„ tutio fuerit, ita tibi satisfaciam: ut mensem „ quemque in tres partes, primam nempe, me„ diam, ultimamque dividens, quam coeli tem„ periem habuerimus, quae fuerit barometri ac „ thermometri altitudo media, quae humiditatis „ & siccitatis ratio, qui coeli status, pluviis, „ nivibus, nebulis, quae incidere, descriptis, per„ noscas; atque haec quidem omnia breviter & „ summatim. De ventis interim multa observare „ accuratius, Anemometrum desideranti, mihi „ non licuit; notavi solum, si quando fortiores „ ad aliquod e punctis, ut vocant cardinalibus, „ eorumve intermediis spiraverint. Caeterum ven„ tos *Ticini* parum dominari, elapsis autem hie„ me & vere, eosdem solito etiam minus regnas„ se, tibi constat ".

Praeter coeli temperiem, regionis positio, soli indoles atque cultura vim summam in corpora animalium exercent: quae vero partim, si agrum *Mantuanum* excipias, *Ticinensi* minus, quam caeteris Insubriae provinciis, favere videntur. In planitie amplissima, ab alpibus ad septentrionem positis, ad flumina conspicua *Padum*, *Ticinumque* meridiem versus decurrente, urbs floret inclyta *Papia*. Haec istius positio, cuius salubritatem divinus iam dudum cecinit PETRARCA, felicissima foret, nisi temporum, bellorum iniuria, nisi campi vastissimi oryzae dicati, ac prata per artem paludosa eandem nimis invertissent. Amplam per vallem Ticinus, arborum plurimarum sub umbra, celeriter decurrit. Hanc in vallem rivuli in-

numeri, & aquae copiosae per terras fossis undique intersectas, lento cursu, & exigua, qualem agrorum inundatio saepe exigit, declivitate, sese exonerant. Atque haec praecipue de ea parte, quam *Lomellinam* vocant, Ticinum inter & Padum iacente, valent. Omnia hic aquis & irrigationibus referta. His adde praecipuam oryzae culturam, quae & laboris affert quam plurimum, & civium in urbe nimis vicina degentium sanitati, quo tempore aquae stagnare incipiunt, mensibus nempe Julii, Augusti, ac Septembris, non parum esse solet contraria.

Ex his facile est perspicere, & coeli constitutionem, & regionis indolem, & quae utramque vel comitari, vel consequi solent, fontem esse morborum aestatis tempore satis perennem ac uberem, eorumque maximam partem generis asthenici.

Superest ut de re alia, non minoris profecto momenti, mentionem iniiciam, scilicet de vitae ratione, qua homines, qui ad nosocomium vulgo deferunt, uti sunt soliti; sunt enim hi fere egentiores, aut agricultores. De his dicam paulo amplius.

Si quis Insubriam Austriacam peragrans, miram hic naturae in largiendis fructibus liberalitatem, rerumque omnium, quae ad primas vitae sustentandae necessitates spectant, abundantiam, opimamque conditionem, simulque agriculturae progressus omnino insignes conspexerit; negabit is, multas in Europa provincias reperiri, quae palmam huic nostrae eripere queant. Accedit, quod vectigalia sint moderatiora, neque mediocritatem excedant, & quod illi, qui provinciae administrandae regendaeque praesunt, curae atque sollicitudinis, quo subditorum saluti quam optime prospiciatur, nihil omittant.

Et tamen agricolarum hominumque rure degentium pars potissima; tam est commodis vitae omnibus destituta, tamque misera; ut reliquo in orbe, quo quidem agrorum cultura penetravit, vix ulla magis. Nec mirum est, si quis consideraverit, hanc classem hominum plerumque, nec palmulam terrae, quam sudore suo impraegnat, possidere ut propriam; sed sub domino colono, qui ipse non suum, sed possessoris, in urbe viventis praedium, gravissimo saepe aere conductum, colit; duris admodum, & male sanis laboribus addictam teneri; fructuque ex istis, quo suum suorumque vitam sustentet, vix non omni privatam incedere.

Victu vero haec hominum classis utitur ex pane difficillimae coctionis, quam e milio indico praeparant, & ex *polenta*, ut vocant ex farina Zeae Mays, & aqua ad ignem confecta, a qua non solum butyrum, sed & condimenti genus, inter omnia quam maxime necessarium, *sal* nimirum *culinaris* non raro abest. Hoc scilicet naturae donum, hominum aeque, ac animalium domesticorum saluti tam proficuum, etsi maria vicina eodem abundent, pretio nihilo minus tam alto, ut egenitatem agricolae non parum superet, venit. Hinc insipidam plane hanc pastam, in bolos redactam, nulla dentibus opera concessa, integram, quasi medicinam ingratam, esurientes stomacho ingerunt, aut saltem phaseolorum, aliorumque infimae conditionis leguminum damnantur ad usum.

Aliud ciborum genus nostris oryza praebet, sanum certe, sed maius ob pretium vix ea, quae satis nutriat, quantitate ventriculo eorum, qui tanta cum molestia, vitaeque tanto sub discrimine hanc plantam colunt, concessum.

De carne atque de vino, quae perraro agricul-

torum labris gustanda offeruntur, vix habeo, quod loquar. Obstupui certe, cum primum mihi, in victus rationem inquirenti, non pauci, se ad illam usque diem, qua nosodochium ingressi essent, neque carnem, neque vinum, neque alium quemcunque liquorem fermentatum gustavisse, pie faterentur.

Huiusmodi igitur alimentis tam parca manu nutritos, difficillimis laboribus, iisque continuis, collum subdere oportet agricolas; nec mulieres quidem utero ferentes, tam dirae sese conditioni subtrahere queunt. „ Hae prono in terram corpo-
„ re cum impetu solum effodere, cerealia sub ar-
„ dentibus meridiani solis radiis excutere, imma-
„ ni humeris, capiti, onere imposito obrui cer-
„ nuntur. Quoties non in oryza colenda stagnanti-
„ bus aquis, sub quavis coeli intemperie, ad ge-
„ nua usque immersas, incurvo, ac repente quasi
„ corpore zizaniam terra, & saepe nimis propriam
„ sic utero prolem, evellere conspeximus (a) “.
Quae vero, rebus ita se habentibus, praegnantium, quae prolium tenerarum sit conditio, non est, cur hic exponam; id solum dictis superaddendum: quod, cum nulla ferme inter nos puerpera, nisi plebi addicta, puerum lacte proprio nutrire dignetur, matrum rusticarum, quae locum minus ab urbe distantem inhabitant, pars magna, etsi mammae ob victus penuriam flaccescant, lucri tamen cupidine, & necessitatis imperio coacta, vel peregrinam simul propriamque prolem uberibus admoveat, vel hanc ipsam a sinu materno repellat.

Vix

(a) *Io. Petr.* FRANK. Oratio academica, de populorum miseria, morborum genitrice. *Delect. Opusc.* Vol. IX.

Vix autem septimum hic annum attigit miser, cum diro iam, ac vires longe superanti subiugatur labori: & sic de reliquo vitae cursu dicendum est.

His praemissis, quis non videt, quales nostro sub coelo morbi prae aliis dominari censendi sint? non illi nimirum, qui corporis vigorem nimium, viriumque abundantiam pro sua origine agnoscant. Revera ita se rem habere, ex hoc ipso opere comparebit: pauci enim sunt, qui ex virium augmento morboso nascantur, si cum illis conferas, quos ab atonia & debilitate inductos tractavimus.

Neque mirum cuique videbitur, si lienis monstrosa moles, cachexiae, aliaque similia, endemica quasi inter nostros mala constituant; quo etiam spectant, aestate imprimis & autumno, febres intermittentes, inter quas *perniciosae* haud raro caput suum extollunt. Febres porro continuae nervosae, sive illae, quas putridas appellant, nisi endemicas quis dicat, saepenumero saltem epidemice apud nos grassantur, atque hiemis praeprimis tempore, quo pauperes in angustis tuguriis, tum aeris, tum lucis ipsius libero accessu privati, vitam, animalia inter domestica, & in stabulis omnem trahunt, non paucis infensae redduntur. Sunt vero quamplurimi, quos tam iniquo habitationis genere contentos esse dura necessitas cogit. Revera a principio mensis Novembris anni 1794. ad eam usque diem, qua Instituti Clinici curam in me suscepi, pater meus febres nervosas, tum intermittentes, tum continuas, peripneumonias malignas, similisque naturae morbos fere unice curandos habuit.

De *Pellagra* mentionem peculiarem instituere omitto; quippe quae, etiamsi ad agrum quoque Ticinensem non ita pridem se dilataverit infelix

aegritudo, in Insubriae tamen parte superiore sedem praecipuam figit (*).

His igitur certo iudicio, ut mihi videtur, expositis, succinctam nunc morborum rationem reddere aggredior, eorum scilicet, quos tempore indicato in Clinico Instituto tractandos suscepi, illis modo exceptis, qui examini iuniorum Medicinae Doctorum dicabantur: ad quod examen ad unum omnes

---

(*) Morbum hunc diversis sub formis ludere tradiderunt Auctores, & praesertim IANSENIUS, qui *Lepram Asturiensem* SAVAGESII & SAGARI pro huius morbi varietate respicit. Inter potissima illius affectionis symptomata crusta arida, nigricans, scabra, ragadibus variis sulcata, dolorifica, visu horrenda & foetidissima, praecipue in manibus, pedibusque erumpens, recensentur; quod pellagrae Insubricae commune quoque observatur. Ut alibi dixi (V. *Syllog. Opusc. Vol. I. Opusc. V. pag.* 27.) pellagra, quae Insubriae & agro Patavino circumscribi tradiderunt Auctores., Poloniae incolas etiam afficit, ibique homines plica detentos non invadit. Ex rubore cutis, non quidem necessario, sed frequentissimo huius morbi symptomate, & saepe primum ingruentis morbi unico; ex diarrhoea colliquativa; sed imprimis ex analogia aliorum morborum huius ordinis, secretionem materiae peculiaris morbosae actione vis vitalis anomala concitatam suspicari licet: adde, quod etiam in Polonia indoles morbi periodica adest, nempe constanter mense Aprilis & Maii cuiuslibet anni renovatur, nec ultra Augustum & Septembrim in suo vigore durat. Morbus hic peculiaris in regione superiore Insubriae tam frequens est, ut ex centum incolis ad minimum quinque huiusmodi affectione laborare soleant. Duobus abhinc annis etiam in agro Ticinensi apparuit, quamquam nonnulli aegrotantes meis observationibus submissi, se iam a quinque, ab octo & usque a decem annis hoc morbo laborasse deposuerunt. Concludendum hinc, pellagram non tam recentem fore in agro Ticinensi, uti creditur, ubi infelicium numerus de die in diem augetur (*Editor*).

omnes tenentur, qui ad Medicinae hac in parte Insubriae exercitium publicum aspirant. Horum nempe morborum curae non minus, quam publico Candidatorum examini, Vir illustris *Iosephus* RAGGI, in hac Academia Professor P. & O., praefixus fuit.

Quod ordinem rerum hic exponendarum attinet, eum existimavi esse optimum, qui scholam oleret minus, naturae vero esset proximior, ac lectores non minus, quam me ipsum, taedio, res easdem diversis in locis repetendi, liberaret. Caeterum nominibus morborum hic usus sum, quae in Patris mei *Epitome de curandis hominum morbis*, civitate donata fuerunt.

Dabam Ticini Reg. XII. Cal. Octob. MDCCXCV.



CAPUT I.

Morbi inflammatorii.

Etiamsi insolitum frigus, anno 1795. inchoante, universam Italiam invaserit, altaeque nives amoenos Insubriae campos obtexerint; clinicum nihilominus institutum, tempore indicato, novem tantum aegroti morbis inflammatoriis veris, legitimisque affecti ingressi sunt; quorum duo *peripneumonia*, tres *febre catarrhali*, reliqui vero *cynanche faucium*, *Rheumatismo*, *Erysipelate* laborabant. Unicus a *Scarlatina* prehensus fuit aegrotus. Ad unum omnes, brevi admodum temporis spatio, optima gaudentes valetudine, methodo, quam nunc paucis exponam, pertractati, nosodochium dereliquerunt. Morbos interim inflammatorios hoc anno, quam annis elapsis, non modo rariores fuisse, sed etiam longe minore cum vehementia regnasse, lubenter fatebor.

Vigente diathesi inflammatoria, praecipue si organum quoddam ad vitam necessarium prae aliis affectum cernebatur, venae sectionem pro re nata, nunc ad libram, nunquam ultra, nunc ad octo vel novem uncias, instituendam curavi. Paucis sanguinis detractionibus peractis, aegroti constanter in melius vertebantur, quare nunquam coactus fui ultra quinque huius pretiosi humoris libras emittere; quod sine dubio me facere oportuisset, nisi reliqua auxilia debilitantia, seu antiphlogistica, simul in usum vocavissem: nam venae sectio, etsi princeps remedium in affectionum inflammatoriarum curatione sit, per se nihilominus,

nus, testante etiam HUXHAMO (*a*), vix aut ne vix quidem, morborum phlogisticorum medelam integram efficere valet (*).

Au-

(*a*) *Dissert. de Pleuritide & Peripneumonia.*

(*) Inflammationes activae sive internae, sive externae; per suam naturam fere semper sanguinis detractionem expostulant. In his nempe haec operatio summa medelae momenta absolvit, impetum ad locum inflammatum frangit, sanguinisque ex eodem refluxum expedit, maximam stimuli in incitabilitatem actionem deducit, spasmum ex irritamento adaucto, & dolores lenit. Praestantiores hinc esse venae sectiones ipso in loco affecto, quoties id fieri potest, aut in eius vicinia institutas, facile perspicitur. Ita in capitis inflammationibus vel in ipsa fronte, vel ex vena iugulari mittitur sanguis; in pectoris morbis ex cubito lateris affecti, in abdominis affectibus ex pede, & sic porro. In genere etiam sanguinis missionem indicant dispositio, vel *opportunitas ad morbum* inflammatorium, quam, ne valetudinem laedat, removeri oportet; vel inflammationis ipsius praesentia, quae curationem desiderat. Possumus itaque utramque huius rei partem per sanguinis detractionem explere: quapropter magnum discrimen erit inter venae sectionem sic dictam prophylacticam, & alteram, quam fere omnem medendi methodum comprehendit. Nimirum haec ipsum morbum aggreditur, eiusque vim supprimit; illa *opportunitatem* detrimento futuram obtundit. Quonam modo huius rei moderamen petendum sit, ex ipsius morbi natura, statu, magnitudine, vel ex potentiis exitiosis satis constat: sedulo haec omnia distinguet medicus, ut cuilibet indicationi sua iura tribuere studeat. Quantitas atque mensura sanguinis detrahendi sua habet discrimina. Clariss. GELMETTI parvas venae sectiones omni trihorio, quadrihorio, vel sexhorio iteratas, utpote peroptimas, proponit; quam medendi methodum magno cum emolumento in Clinico Instituto tentare ausus fui (Vid. RICHTER *Elementi di Chirurgia T. III. Part. I. nota* (1) *pag.* 28.). Caeterum indicatio a vita desumenda viribus prospicit, adeoque haec ipsa modum quidem in sanguinis detractione nobis definit. (*Editor*).

Auxilia, de quibus loquor, & quorum ope saepe saepius sanguini parci potest, sunt *evacuantia* in genere, rigorosa ab omni animali victu abstinentia, atmosphaera frigidiuscula, copiosa aquae potatio, quies corporis animique, nec non, in levioribus inflammatoriis affectionibus, methodus diapnoica.

Evacuantium, praesertim vero lenium catharcticorum, summa in morbis phlogisticis utilitas, SYDENHAMO (*a*), HUXHAMO (*b*), BOERHAAVIO (*c*) aliisque summis in arte Viris bene cognita erat. Conspicuum morbi cuiusve phlogistici levamen, quod horum pharmacorum ope obtinetur, non a sola saburrarum, pituitae, bilisque evacuatione, nec a derivationis, tam incertae doctrinae, auxilio, — sed potius a debilitate, usum catharcticorum sequente, repeterem. Aegrotantibus enim non paucis, morbo phlogistico detentis, quin vel unicum ex sic dictis signis gastricis adesset, summo cum rerum successu, alvum ducentia iterum iterumque propinavi. Faucium cynanchen, in hoc ipso Instituto Clinico, salis amari ope, cito sanavi; deerant tamen & oris amarities, & linguae spurcities, ac nausea, aliaque huius naturae symptomata, quorum praesentia vulgum medicorum ad purgantium usum tam saepe conducit (*d*). Minime hinc dicti remedii utilitatem a saburrarum vel bilis evacuatione, ab ipso peracta, derivare mihi licet. Peripneumoniae illae, ac

---

(*a*) Opera omnia Cap. V.
(*b*) L. c.
(*c*) Aph. 852.
(*d*) Morbi istius historiam scripsit D. Doct. *Iacob* GIOVANELLI, Tyrolensis.

ac cynanches, quae a celeb. STOLL pro gastricis atque biliosis, eo quod illas cum evacuantibus sanaverit, declaratae sunt; erantne ipsae revera talis naturae? Non desunt interim summi ingenii, & auctoritatis medici, quos inter modo TRILLERUM (a) nominabo, qui catharcticorum usum in morbis, de quibus sermo est, propter stimulum, quo agunt, proscribendum esse censuerint; sed unico his respondere licebit argumento: purgantia certe non agunt, quin stimulent; verum, quaeso, si illa tantum catharctica in usum vocemus, quae acrioribus drasticisque principiis destituta, lenes modo evacuationes promovent, cuiusmodi sunt varia salia neutra, tamarindi &c., nonne tunc debilitas ab alvina purgatione inducta, damnum ab actione mitissimi stimuli illatum facile delere ac superare concedetur?

Quamvis autem venae sectio, alvique modica purgatio ad potiora auxilia antiphlogistica pertineant; eorum tamen emolumentum longe minus sub oculos cadit, nisi summa simul victus habeatur ratio. Diaeta enim in morbis a vi vitae nimia originem ducentibus, prorsus vegetabilis, ac liquida adhibenda esse mihi videtur. „ Carnes, „ inquit SYDENHAMUS (a), cuiuscunque demum „ generis, & iuscula ex iis parata, sacra sunto: „ iusculis vero hordaceis, avenaceis, pomis coctis „ ac id genus aliis vescitor, ptisana ex hordeo, „ vel cerevisia tenuissima utitor. “ Quare aegrotis nonnisi vegetabilia, praesertim fructus horaeos, concedo: qui cibi ob vacillantem putredinis theoriam a maxima parte medicorum in solis morbis ab

(a) De Pleuritid. Cap. III. §. 4.
(a) Op. citat. Sect. VI.

ab atonia pendentibus propinari solent, in quibus certe tam perniciosi, quam in affectionibus a contrario corporis statu oriundis, proficui esse cernuntur.

Quod potum attinet, simplicissimum in morbis inflammatoriis, aquam scilicet frigidam, suppedito (*). Minime vero nitrum, vel aliud quodpiam

---

(*) In affectione inflammatoria activa, specialiter sub morbi initio, glaciei usum aquae frigidae antepono. Plures peripneumonias inflammatorias hac methodo felici cum successu tractavi. Glacies frigoris gradu, ut notum est, simplicem aquam superat; ob quam caussam glacies, vel nix interdum auxilium praebuerunt; ubi aqua frigida iam denegaverat. Herniae inguinales & crurales, quae nullo modo reponi possunt, imposita contusa glacie absque alio artis adminiculo reponuntur. In inflammatione activa copia calorici loco inflammato collecta topicam debilitatem gignit; fluida minorem resistentiam reperientia semper irruunt, maiores congestiones faciunt, vasa continuo dilatant, eoque ipso ruborem, dolorem & tumorem efficiunt. Sub glaciei, vel nivis usu calor resorbetur, & vasorum diametrus imminuitur ita, ut vehementior sanguinis impetus coerceatur, compressio, quam vasa extensa in nervos habebant, evanescat, & dolor cesset. Calorici redundantia deducta tumor inflammatorius, contractis solidis minuitur, nec non rubor; quare TISSOTUS has glaciei vires haud ignorans, eam summe commendat in pernionibus, atque in combustionibus, si satis mature accersitus fuerit medicus. Liquorum conglaciatorum, vulgo *gelati*, *sorbetti*, usus in sanandis morbis inflammatoriis activis permagnus, nonnullis experimentis feliciter institutis, satis superque cognitus videtur. In morbis catarrhalibus ex citiore exaestuatione corporis refrigerati ortis, saluberrimum sistit remedium; nam profluvium illud serosum astringendo vasa, e nimio calore dilatata, impedit, & fibram muscularem faucium, & vasorum pulmonalium, calorici derivatione, roborando efficit, quo minus fluida versus has partes agant (*Editor*).

piam huius generis medicamen; addo; quod tunc aegroti, ingrati saporis caussa, non facile necessariam potus copiam sumant; vel potius, quia hisce pharmacis, *nisi evacuationes inducant*, nullam vim antiphlogisticam tribuendam esse existimo. Nitrum enim, aliaque huius naturae salia, evidenter irritant, ac stimulant. Idem de acidis vegetabilibus saturatis, quibus nescio cur virtus refrigerans concessa sit, sentio. Acetum enim, fortius imprimis, tam longe abest, ut vires corporis imminuat, ut hae potius ab eius usu aliquomodo augeantur. Alcoholis illud vix non semper haud exiguam copiam continet. Acidum, quod ex fructibus limonum obtinetur, aqua multa dilutum, pro potu aegrotantium, morbis inflammatoriis affectorum, magis accommodatum, mihi videtur; licet nec eidem vim adscribere queam antiphlogisticam (*). In peripneumonia ab hoc potu subacido tussim exasperatam fuisse, observavi ego, observarunt & alii. Porro necesse est, ut caveatur, ne illi, qui hanc *limonadam* praeparant, portiunculam corticis fructus ipsius potui superaddant, vel citri elaeosaccharo adiecto, stimulante hanc principio impraegnent. Commixto scilicet sic oleo essentiali, quod vehementer exaestuat, potus, de quo sermo est, valdopere excitans, atque abhinc in morbo inflammatorio noxius paratur. Gravis hic error frequentem in praxi locum

(*) Iam clariss. MONETA simplicem glaciem & nivem edere iussit in morbis inflammatoriis activis; sed quis non intelliget, liquores conglaciatos acidos maiori adhuc emolumento aegris in his morbis esse? In peripneumoniis veris sufficiente instituta venae sectione, liquores conglaciatos acidos, praesertim ex limonum fructibus, praestantissimos inveni (*Editor*).

cum habet. Omni igitur potui, aquam fontis frigidam, certe non ubique glacialem, antepono: Illam equidem in peripneumonia ac faucium cynanche cum successu magno in usum vocavi, dummodo hi morbi adhuc recentes ac revera inflammatorii essent: Methodus ista, ab aliis nostratibus medicis; immo ab ipso vulgo, iam dudum adhibita; nunquam aliquid detrimenti produxit. Sic saltem magistra docet experientia.

Atmosphaerae autem, quam SYDENHAMI; BOERHAAVII; aliorumque consilio in quovis morbo phlogistico, subfrigidam esse oportet, maximam semper rationem habui. Argumenta enim a BRUNONE (*a*) circa frigoris actionem exposita, de illius vi, dummodo sat constanter in corpus agat; *debilitante*; me plane convicerunt: Acutissimi scilicet hic Vir ingenii, non a frigore, recta via, sed a calore illud subsequente, qui tunc maiori cum vi in machinam magis excitabilem agit, morbos inflammatorios oriri; — & frigus sat constans non ad auxilia tonica, sed revera ad debilitantia; seu antiphlogistica, spectare, meridiana luce; ni fallor; clarius demonstravit.

Hic certe locus non est; rationes; quae ad hanc sententiam tum negandam; tum defendendam allatae sunt, in medium afferendi; quod tamen alia occasione iam fusius feci (*b*), fecitque W. WEIKARDUS (*c*). Antiquitatis iam medici vim frigo-

(*a*) *Elementa Medic.* BRUNONIS.

(*b*) Ricerche sullo stato della medicina, di JONES. Trad. dall' Inglese da *Giuseppe* FRANK, con note. T. I. p. 251.

(*c*) Entwurf einer einfacheren Arzneykunst. Versionem italicam cum notis procuravi sub titulo: Prospetto d' una medicina più semplice.

goris antiphlogisticam bene noverunt. Sufficiat hic dicere, ASCLEPIADEM, CELSUM, aliosve, in phrenesi, ut caput frigida lavaretur, consuluisse: quod praeceptum LANZONIUS (*a*) ac WILLISIUS (*b*), felici cum successu, secuti sunt. Inter recentiores C. TISSOTUS (*c*), atque W. MONETA (*d*), regimen calidum in catarrhali & coryzae inflammatoriae curatione, proscribendo, frigidam iterum iterumque commendant. Variolas demum inflammatorias, nonne felici cum exitu in atmosphaera frigidiuscula curari omnes convenimus? Et cum huius exanthematis eruptio a frigore non solum non impediatur, sed potius promoveatur; cur est, quaeso, quod contrarium in caeteris exanthematibus phlogisticis timeamus? Frigus in curatione morbillorum benignorum aeque ac in variolis profuisse, W. WAINMANN (*e*) testatur. Idem in scarlatina benigna accidere, egomet ipse in casu sequente expertus sum.

SCARLATINAE HISTORIA (*f*).

Puer, pistori tyronis operam praestans, 13um aetatis suae annum attingens, robustus ac bene nutritus, a biennio optima fruens valetudine, cum ob muneris rationem frigori calorique alternatim sae-

(*a*) Miscel. natur. curios. D. 3. An. 5. §. 6. Obs. 121.
(*b*) De Delirio & Phrenitide. Cap. 10.
(*c*) Avis au Peuple.
(*d*) Abhandlung, dass die Kälte, und das kalte Wasser in Katharkrankheiten wahre Heilmittel sind.
(*e*) JONES op. citat. T. I.
(*f*) Historia haec a D. Doct. *Francisco* ALIMONTA Tyrolensi scripta est.

saepius sese exponere cogeretur ; iam aliquot abhinc diebus de insolita artuum lassitudine, animi morositate , & quadam faucium titillatione conquerebatur. Nihil haec faciens, in pristina vivendi methodo continuabat. Ante triduum , nulla accedente nova caussa, & absque contagii suspicione, dolore faucium corripitur , deglutitionem quodammodo praepediente, absque tussi & respirandi difficultate, torminaque insimul ad abdomen expertus, absque vomitu aut tenesmo. Hoc sub rerum statu, quin horrorem caloremve febrilem persensisset unquam, lecto committitur , ibidemque domi per biduum degit, nil praeter potum aquosum assumens. Abdominis dolores post paucarum, a quo incoeperat, horarum spatium, disparent, superstite morbosa faucium affectione. Haec, licet aeger ab omni cibo abstineret, solliciteque animi corporisque quietem servaret , increscit : dolor scilicet maior evadit, deglutitio difficilior redditur, voxque fit acuta. Cum res sic procederet , heri vespere, nulla facta medela, nosocomium inferius petit, ibidemque venae sectio ad unc. IX. instituitur, cataplasma emolliens collo apponitur, & haustus salinus cum duobus tartari emetici granis praescribitur. Ab hac methodo melius habuit, & hoc mane in Clinicum Institutum deportatus, sequentia obtulit animadvertenda: dolor faucium tantisper erat imminutus , deglutitio facilior, vox minus acuta; inspectae fauces rubebant valdopere; tonsillae tumebant, uvula ad linguae radicem usque extendebatur, lingua, quodammodo sicca, maxima fere parte muco albido obtegebatur, nulla interim aderat tussis, aut respirandi difficultas: cutis erat arida , sicceque urens, & licet aeger id antea non animadvertisset, maculis undique, si faciem excipias, copiosissimis laevigata scatebat: hae maculae erant minimae, ruberri-

rimae, hinc inde confluentes, a compressione evanescebant, hac cessante, mox revertebantur. Interim nullus aderat oculorum rubor, aut lacrymatio, sternutatio nulla, nec coryza, nec ulla ventriculi oppressio, aut vomituritio. Pulsus erant admodum frequentes & tantisper pleni: pauca sitis aderat, anorexia aliqua, & quaedam artuum lassitudo, alvus ordinata.

His perspectis, cum nulla nunc vigeat variolarum morbillorumque epidemia, nec praesentia symptomata haec annuncient exanthemata, morbum pro *scarlatina* habemus. Quod febris ad indolem spectat, floridus aegroti habitus, eiusdem vitae genus, actio virium excitantium in decursu ad morbum graviorem continuata, evidens adhibitae antiphlogisticae methodi utilitas, nervosorum symptomatum absentia, & praesentium consideratio, de inflammatoria huius indole satis nos convincunt. Quoad prognosin, licet ea sit morbi natura, ut facile in hydropem in convalescentibus terminetur; nihilominus, cum graviora symptomata non urgeant, sub recto regimine, feliciorem morbi exitum speramus.

Interim, ut indicationi satisfaceremus, stragula detrahi iussimus, ita tamen, ne ingratam frigoris sensationem aeger persentiret, & dein habito ad leviorem morbi gradum, nec non ad praesentis constitutionis, nervosae morborum indoli faventis, characterem respectu, praescripsimus hirudines X. circa collum applicandas, aquam frigidam, & cibum ex pomis coctis paratum.

Vespere.

Aliqua adest exacerbatio, pulsus sunt magis frequentes, adhuc pleni, calor maior, & tantisper in somnum inclinat aeger: caeterum dolor fau-

cium est magis imminutus, deglutitio facilior, & vox minus rauca: alvum non deposuit. Continuavimus in potu & diaeta, & clysterem emollientem praescripsimus.

Mane 7. m. d.

Quievit: alvum bis deposuit; adest remissio sat manifesta; pulsus sunt minus frequentes, tantisper tamen pleniores; calor minor, fauces minus dolent, tonsillae tument minus, deglutitio facilior.

Eadem sit aegri stragulis levioribus cooperiendi ratio; dein

R. Haust. salin. (a) uncias septem.
Tart. emet. granum unum.
Cap. omni biborio cochlearia duo
Diaeta eadem.

Vespere.

Exacerbatio aliqua, sed hesterna minor: alvum deposuit. Continuavimus in omnibus.

Mane 8. m. d.

Bene quievit: remissio manifestissima: pulsus minus frequentes, parum pleni, gutturis dolor tonsillarumque tumor minor, vox fere naturalis: ad brachia & crura asperdines comparent miliformes,

---

(*a*) Haustus salinus sic paratur.
R. Aceti ammoniacalis, infus. sambuc. ana unc. tres.
Oxymel. simpl. unc. unam. M.

mes, albae, quae cutim scabram reddunt. Continuavimus in praescriptis.

Vespere.

Exacerbatio aliqua, sed praecedente minor: alvum non deposuit: clysterem ordinavimus & in caeteris continuavimus, ut supra.

Mane 9. m. d.

Optime quievit; gutturis dolor non nisi sub liquidorum deglutitione aliquis, tonsillarum tumor fere nullus: aspredines miliformes maiores apparent: pulsus fere naturales. Continuavimus in omnibus.

Vespere.

Exacerbatio aliqua: calor tantisper maior, pulsus frequentiores magisque pleni, inquietudo magna ob dentis dolorem: dens inspectus carie affectus apparuit; in praescriptis continuavimus.

Mane 10. m. d.

Quievit: remissio adest manifestissima, urina sedimentum lateritium deponit. Continuavimus ut supra.

Vespere.

Exacerbatio aliqua. Continuavimus in omnibus.

Mane 11. m. d.

Pulsus & calor fere naturales: desquamatio in-

cipit, ad brachia & collum sudavit, urinae clarae. Continuavimus in omnibus.

Vespere.

Exacerbatio vix aliqua. Continuatum in praescriptis.

Mane 12. *m. d.*

Desquamatio rite procedit: febris nulla, urinae copiosae: diaetam, ut vocatur, secundam (*a*) concessimus, nihilque dedimus nisi infusum sambuci: caeterum levioribus aegrotum stragulis adhucdum obtegi voluimus.

Vespere.

Nihil novi observatur: furfures undique ex cute decidunt. Continuavimus in praedictis subsidiis.

Mane 13. *m. d.*

Per 4. adhuc dies apud nos remansit: nil praeter diaetam tertiam (*b*) absque vino concessimus: desquamatio rite processit, & quin ullum unquam hydropis signum appareret, aut de morbosa sensibilitate conquereretur aeger, ad suos redire cupientem, integre restitutum dimisimus, monentes, ne frigori calorive alternatim, vel nimio calori sese exponeret.

Praeter remedia iam allata, & praeter corporis ani-

(*a*) *Vid.* Plan d' école clinique Tab. C.
(*b*) *Vid.* Plan d'école clinique Tab. C.

animique quietem, aliud porro magni momenti antiphlogisticum auxilium constanter in usum vocavi, quod ob nimium contra methodum alexipharmacam odium, a plerisque medicis, nisi fallor, non satis pro merito aestimatur. De methodo, quam sudoriferam seu diapnoicam vocant, loquor, quae ipsa, quamvis in fortioribus morbis inflammatoriis, propter stimulum primam ejus actionem concomitantem, maximo detrimento sit, in levioribus contra affectionibus phlogisticis, praecipue ubi sudoris sponte suborientis signa cernuntur, ad potiora curationis subsidia mihi videtur pertinere. Hoc ultimo in casu, nihil noxae a levi admodum stimulo, cuius ope sudor promovetur, timendum, quum sudoris evacuationem subsequens debilitas, damnum ab illo illatum, facile superabit. Prorsus contrarium vero in gravioribus, a vi vitae nimia pendentibus morbis, evenit, in quibus sudor a qualicunque, vel levissimo, stimulo arcetur, & fatente ALEXANDRO, a regimine antiphlogistico, immo ab ipso frigore, cum utilitate promovetur. Qua de re iis aegrotis, qui levissimis morbis inflammatoriis afficiebantur, mox ab initio, — illis vero, qui gravioribus opprimebantur, tantummodo sub finem, quum nimirum aliorum debilitantium opere morbus ad priorem illum gradum redactus esset, lenia stimulantia e. g. tartarum emeticum in refractis dosibus, pulverem DOWERI, acetum ammoniacale propinavi, hac ratione inductus: ut ope sudoris superstitem virium vitalium superabundantiam delerem, sicque aegritudinis perfectam curationem cito obtinerem. Aegrotum peripneumonicum in Clinico Instituto, cui iam vena secta fuerat; praesentibus ac saevientibus adhuc huius diri morbi symptomatibus, sub pulsu tamen molli ac undoso, cum regimine diapnoico, de quo locutus sum, tempore viginti quatuor

 ho-

horarum ad sanitatem restitui (*a*). In morbis porro phlogisticis, exanthematibus praesertim stipatis, a contagio imprimis ortis, methodus haec lenis diaphoretica mirifice confert (*).

Neque tamen silentio praeteream, me hinc inde ob methodum diapnoicam praepostere adhibitam, morbi augmentum observasse, quum a stimulo pharmaci, quo sum usus, desideratus sudor negaretur.

Quae igitur auxilia ad morborum inflammatoriorum curationem administranda censui, breviter iam exposui: oportet núnc paucis rationem reddere, cur quaedam pharmaca a summis in arte medica viris contra affectiones phlogisticas commendata non adhibuerim.

Opium „ quod genio inflammationis non quadrat (*b*)" numquam in phlogisticis affectionibus adhibui. Sub finem tamen peripneumoniarum, victa diathesi phlogistica, ac contraria per abusum remediorum debilitantium generata, opium certe saepius summo cum fructu in auxilium vocavi.

Quid de vesicantibus, contra pleuritidem & peripneumoniam adeo laudatis remediis, cogitem, ingenue nunc fatebor. A vesicatoriis in morborum inflammatoriorum cuiuscunque demum spe-

---

(*a*) Aegrotantis huius historiam scripsit D. Doct. *Ioseph* PRAEDA Mediolanensis.

(*) Methodum a clariss. Auctore traditam in curatione leviorum morborum phlogisticorum pluries maxima cum utilitate in Clinico Instituto hoc anno tentavi. Praeter pulveres DOWERI aliaque diapnoica, Kermetem mineralem, in peripneumoniis praesertim, porrexi, cuius ope inflammationis reliquiae citius fugabantur (*Editor*).

(*b*) TRALLES usus opii T. II. p. 84.

speciei hi sint, curatione (dummodo hanc naturam servent, atque ob neglectum debilitantium usum, vel etiam contraria e ratione in diathesin oppositam non transeant) semper abstineo. Nil enim illi, TRALLESII (*a*) verbis utor, magis incongruum & contradictorium cogitare possum, quam venae sectionem instituere, cathartica aliaque debilitantia propinare, & eodem tempore acria, rodentia vesicatoria exterius applicare.

Profligato, sub methodo hac, paucis ac per summa capita exposita, morbo, studiosorum attentionem in *convalescentium* conditionem constanter movendam esse, mei muneris existimavi. Si status ille, qui sanitatem inter & morbum medium tenet, atque praedispositionis sub nomine salutatur, pro medico practico summi momenti est, non minus eiusdem attentionem conditio illa, cui *convalescentiae* nomen imponitur, quaeque morbum inter & secundam valetudinem posita est, meretur. Quodvis enim morbi genus propriam convalescentiam, propriaque redituri morbi ipsius pericula habet, ac distinctam medendi methodum requirit, quod fusius parens optimus alibi exposuit (*b*). Mos vulgo receptus, illis qui a morbo recenter convaluerunt, indiscriminatim excitantia, victumque lautum ac vinum exhibendi, pessimus sine dubio est. Saepe iterumve sub tali vivendi ratione ignis vix extinctus iterum nova vi in perniciem hominis accenditur. Aegrotantibus hinc meae curae commissis, post superatum morbum inflammatorium, dummodo ob nimium remediorum debilitantium

---

(*a*) De usu vesicantium.

(*b*) Oratio Academica, de convalescentium conditione ac prosperitate tuenda. Delectus opuscul. T. XII.

usum, virium vitalium conspicuum languorem non ostendant, victum vegetabilem pauca cum adiecta carne concedo, vinum vero fere semper prohibeo.



CAPUT II.

Febres intermittentes.

Quum praeterita hieme febres intermittentes rariores fuissent, & sequente vere, licet eae grassarentur, nihil tamen, quod maioris attentionis dignum esset, ostendissent, solos XIX. aegrotos, morbo, de quo loquor, affectos, in Clinicum Institutum suscepi. Omnes vero cito perfecteque sanati sunt.

Sed priusquam de methodo, qua sum usus, verba faciam, quid de febrium intermittentium natura ac divisione a medicis recepta sentiam, breviter & sine fuco, ut mea opinio fert, exponere aggredior. Solent autem hae febres aeque ac febres continuae, in inflammatorias, gastricas, & nervosas, dividi (*a*).

Quas ego febres intermittentes pertractandas habui (neque enim de illis tantum, quas tempore indicato tractavi, sed de aliis permultis atque gravissimis, quarum curationem elapsis annis suscepi, hoc loco sermo mihi est) ad unam omnes nervosae indolis fuerunt, quamvis maxima illarum pars symptomata sic dicta gastrica prae se tulissent. Signorum istorum praesentiam, quum ego experientia quadam & ratione fretus, minoris habendam ducerem; neque emetica, neque cathar-

cti-

(*a*) Epit. de curand. hom. morb. T. I.

ctica, sed tonica atque excitantia constanter propinavi: quorum medicamentorum usu morbus simul cum symptomatibus gastricis, nullo alio subsequente detrimento, disparuit. Felici hac, & multiplici experientia securior redditus, quum febres intermittentes, licet amaror oris, linguae spurcities, ructus, nausea, vomitus aut diarrhoea praesto essent, excitantibus tamen remediis celeriter certeque cedere semper viderem; an res eodem modo sese in febribus continuis haberet, sedulo experiendum existimavi; & in hoc studium, quam potui diligentissimum, contuli. Eventus suspicionem egregie confirmavit. Magnum enim febrium continuarum numerum, quae ab aliis propter praesentiam eorum, quae modo commemoravi, symptomatum, gastricae aut biliosae appellabantur, quaeque ad morbos inflammatorios nequaquam pertinebant, exclusa omnino methodo evacuante, stimulantium ope summa cum felicitate sanavi. Has denique observationes saepe numero repetitas, & quam fidelissimas sedulo inter se comparans, illasque studio, quo potui, diligentissimo, cum argumentis ab HECQUETO (*a*), BRUNONE (*b*), RICHTERO (*c*), tum vero a patre ipso (*d*), contra theoriam gastricam adeo pervulgatam, atque methodum evacuantem ei superinstructam allatis, concilians, paulatim eo, quasi vi cogente, adductus fui, ut sententiam illam, quae primarias affectiones gastricas, paucis casibus exceptis, prorsus negat existere, animo amplecterer.

Operae nunc esse pretium existimo, argumenta

(*a*) De purganda medicina.
(*b*) Elem. Med.
(*c*) Med. Chirurg. Beobacht.
(*d*) Oratio Acad. de larvis morborum bilios. Delectus Opusc. T. I.

ta rationesque praecipuas, quibus fretus morborum gastricorum cohortem in tam angustos limites coegerim, in medium paucis proferre. Quo facto, in promtu cuique erit, observationes, quas ultimo loco circa febres intermittentes, & continuas exponam, cum fructu legere, riteque perpendere, & ad trutinam revocare.

Gastricus profecto ille morbus recte dicitur, qui a cibo depravato aut venefico, vel a sano etiam atque saluberrimo, sed in tanta copia, ut vires stomachi, licet sani, superet ingesto, vel a vermibus corruptis a meconio relicto, originem trahit. Affectio vero huiusmodi, tum ob caussam, a qua producitur, tum ob medendi methodum, quae ipsa in materiae peccantis evacuatione unice consistit, a morbis totius systematis ex vitio nascentibus absolute differt, & ad locales omnimodo spectat, quod alio iam loco exposui ac exemplis demonstravi (a).

Morbos vero illos, qui nunc sporadice, nunc late per provincias epidemice grassantur, minimeque a cibi sive copia, sive natura peccante originem ducunt, quamvis omnibus sic dictis signis gastricis instructos homines invadant, a saburrali, vel biliosa tamen, in primis viis, collectione, nequam pendere, nunc breviter ostendam.

Quamdiu secunda valetudine fruimur, ventriculi fibrae iustam ad digestionis opus rite perficiendum vim possident, humoresque ad idem officium quoque necessarii propria copia & qualitate secernuntur. Sed cum debilitans potestas corpori applicetur, ventriculi, totiusque intestinalis tubi robur infringitur: tum vero secrétio humorum, qui ciborum subactioni inserviunt, perturbatur. Hinc si-

(a) JONES T. II.

signa, quae laesae digestionis officia indicant, & quorum certissimum vomitus est, nascuntur. Facile interim patet, digestionis perturbationem & symptomatum ab ea orientium cohortem nil aliud esse, quam imbecillitatis universum systema afficientis effectum, quod exemplis probare in promtu est. Medio sub prandio, vigente adhuc magnopere appetitu, cuidam tristia annuntiantur: hic sane non raro fit, ut uno eodemque temporis momento fames non solum aufugiat, verum etiam gravissimam digestionis, & universae saepe machinae perturbatae indicia oriantur. Rebus ita se habentibus neminem ob nauseas, ructus, ac vomitum, quae omnia forsan praesto erunt, totius systematis atoniam, a stomachi incommodo derivaturum arbitror, neque futurum, qui hominis curationem cum evacuantibus sese feliciter aggredi posse cogitet. Quando vir caeteroquin sanus ira excandescit, & tremoribus aliisque symptomatibus, praesertim vero vomitu bilioso corripitur, quisne quaeso iram ipsam ac tremores a bilis copia nimia deducat, & ejus evacuationem meditetur? Idem scilicet hoc esse, ac si pathologus diabetis caussam in urinae copia nimia quaereret, eiusque curationem cum lotii evacuatione per artem adaucta tentaret; vel etiam si quis sudoris colliquativi originem in ipsum sudorem collocaret, & medelam per eiusdem evacuationem perfici posse existimaret. Et cum is, qui vitae sedentariae se tradit, variis, praesertim vero digestionis laesae incommodis crucietur, quid, obsecro, accusandum erit, colluviesne ciborum primas vias occupans, an potius totius imbecillitas systematis? Consultumne censebimus ad hunc morbum curandum evacuationes in auxilium trahere? Quando denique in febribus non inflammatoriis, sub totius systematis atonia, praegressis noxis debilitantibus, ap-

pe-

petitus languet, ac saburrarum, vel bilis praeter naturam collectae indicia nascuntur, cur morbi effectum, non vero caussam cum remediis opportunis potius aggrederemur? Excitantia profecto hoc in casu, universae machinae debilitatem auferendo, & digestionis organa refocillando, saburrarum bilisque colluviem una cum symptomatibus dissipabunt. Ventriculus & intestina sic corroborata, nunc vi propria, nullo sane extrinseco auxilio adhibito, quod quidem sanitate florente in dies fieri videmus, saburras naturali via expellent. Quid, precor, in hisce febribus a purgantibus exspectare possumus, quae, dum largas evacuationes cient, corporis vires adeo infringunt, ut in morbis inflammatoriis post venae sectionem ad praecipua curationis momenta pertineant, quaeque febres intermittentes iam ope roborantium sanatas, revocent? Si quis vero obiiciat, emetica atque cathartica hisce in morbis conspicuum saepe levamen attulisse, equidem respondeo: idem hic evenire, ac in asthmate, & hydrothorace, si venae sectio fiat, qua peracta, brevi temporis spatio aliquod levamen persentiunt aegroti, sed paulo post in peius ruunt, & citius ad orcum rapiuntur.

Una tantum difficultas, ut mihi quidem videtur, remanet, quam paucis nunc diluere animus est. Quaeri enim posset, quomodo ventriculus & intestina a saburris repleta excitantium sentire actionem queant? Huic summi momenti argumento respondeo: quodsi tubus intestinalis, ob propriam debilitatem, ac ob saburrarum nimiam copiam, actionem illorum remediorum excitantium quae aliqua digestione indigent, perferre nequeat; idem certe cum illis pharmacis accidere haud potest, quae nullam in primis viis subactionem postulant, quaeque vix in stomachum recepta, uno eodemque temporis puncto totam machinam excitant. Ubi ergo virium,

quae

quae digestioni inserviunt, magna deiectio atque depressio occurrit, ac eo in casu, ubi revera suspicio de latente in alimentari tubo saburrarum collectione adest, in hoc, inquam, casu, nec peruvianus cortex, nec martialia, quae aegre digeruntur, sed opiata, aether vitriolicus, alkali volatile, alcohol, ipsumque vinum praescribenda mihi videntur. Haec enim remedia quam citissime vires universae machinae reficiunt ac confirmant, tubumque intestinalem ad pristinum officium absolvendum excitant, aptumque reddunt.

Quae omnia, etsi mihi spem praebeant, videri posse lectoribus, me neque pauca, nec exigui ponderis argumenta attulisse contra theoriam illam, quae maximam, vel magnam saltem febrium, aliorumque morborum partem a colluvie primarum viarum derivat; addam nihilominus quaedam alia non minoris certe momenti; ostendam scilicet, amarorem oris, linguae sorditiem, & eiusdem, uti & oculorum & faciei totius flavedinem, nauseam, ructus, diarrhoeam, & vomitum, quamvis interdum saburrarum bilisque morbosae collectionis indicia sint, longe tamen saepius revera ita adesse, ut a sordibus primarum viarum, praeter naturam existentibus, originem ducere nullo modo existimari possit. Quod si effecerim, cuique ut puto, satis clare patebit, ob praesentiam symptomatum gastricorum, nullo pacto ad praesentiam quoque colluviei in primis viis existentis, posse argumentari.

De oris amarore primum verba faciam, qui si forte adest, a vulgo medicorum tanti momenti habetur, ut ob solum saporis hoc vitium evacuantia non raro praescribantur. Si tamen consideremus, omne id quod amarum est, ideo non protinus esse bilem, si denique copiosas experientias perpendamus, ubi matutino tempore oris amaror

post

post sumtum ientaculum aut prandium, quin bilis evacuatio secuta sit, disparuit, ipsam oris amaritiem vix pro symptomate gastrico considerari posse, patebit. Si quis coryza laborat, atque obdormiscens per solum oris cavum cogitur spiritum trahere, is praeter huius cavi siccitatem, & amarorem certe accusabit. In febribus intermittentibus saepe admodum oris amaritiem simul cum paroxysmo accessisse, & cum hoc ipso rursus disparuisse observavi, & quis non idem multoties viderit? ita ut in tertiana febre, cuius historiam dein exponam, die, qua febris accessit, os depravatum, altera vero die a febre libera, bonae id notae repererim. Et cur denique solis *saporis* nervis, quod aliis sensibus toties contingit, negabimus? quoties non oculis licet clausis colores diversos, aut sub summa rerum externarum quiete, susurrus, tinnitus, sonosque distinctos auribus percipimus? Quoties non dulcis ore sapor inest, quin saccharino latenti principio hanc sensationem adscribamus; cum e contrario, vix aliqua palato amarities accusatur, cum illico de bile in praecordiis haerente somniemus!

Linguae sorditiem, oculorum, faciei totius, & sputorum flavedinem pariter velle a bile derivari; a recta ratiocinandi via quam plurimum videtur aberrare. Iudicium, quod e *colore* facias, in omni fere re fallax est & dubium. Non enim omne id, quod in corpore humano notatum flavo colore cernis, eundem a bile obtinuit. Echymoses e. g. licet a caussis prorsus localibus inductae, initio rubrae sunt, denique in atrum ac in viridescentem, & postremo in flavum commutantur colorem. Ideone dicemus echymoses a bile ducere originem? Ipsorum sputorum flavedinem, praesertim in peripneumonia, non a bile pendere, equidem arbitror. — Colorem scilicet istum a sanguine potius

tius derivarem, qui vigente morbo magna copia excreatui commixtus invenitur, unde proprium aspectum purpureum conservat; sensim sensimque vero, in melius vertente aegritudine, copia minori sputis iunctus, non amplius rubrum, sed flavum colorem ostendit. In non paucis ictericis cutis flavedinem minime a bile pendere mihi quidem persuasum est. Quomodo enim, qui hoc negat, explicare valeat icteri originem, qui iram acriorem mox subsequitur? Tempus mehercle, nimis breve est, ut bilis ex ipso hepate, vel ex cystide fellea reabsorpta, per totum corpus diffundi possit. Speciosam saltem illam hypothesin approbare non possum, quae universum systema, sub certis rerum positionibus, ad bilem secernendam, aptum existimat. Magis hinc rationi consonum mihi videtur, flavedinem eam, quae saepe post iram in universa cute conspicitur, a sanguine, exigua copia in cellulosum textum effuso, ibique cum humoribus diluto, derivari. Quare icteri haec species pro levi admodum haemorrhagia, in tractu vasorum sanguiferorum locum habente, declaranda, mihi quidem videtur. Quam opinionem analogia magis etiam tuetur & firmat. Quis enim ignorat, post vehementem iram magnas saepe haemorragias oriri? Porro, quum in ipsis febribus nervosis continuis haud raro sanguinis fluxus oriatur, nonne forsitan & flavedo illa oculorum, faciei, immo universae machinae, quae in hisce febribus, praesertim vero in febre illa *flava Americanorum* occurrit, pariter a levi haemorrhagia, & non a bile, derivanda esset? Haec saltem explicatio a phaenomenis, quae in scorbuto observamus, aliquo modo confirmatur. In hac scilicet aegritudine, mihi non raro visa, sanguis facile per omnia colatoria stillat, ac in cellularem textum sese effundit. Hac ultima ex caussa, si mor-

morbus gravior, maculae atrae, si levior idem, *flave* in tota cute cernuntur. Immo non raro icterus cum scorbuto iunctus est, etsi vitium locale ad hepar desit. Eadem plane ratione, qua color flavus fallax de bilis morbosa praesentia signum praebet, linguae quoque sordities minime pro saburrarum indicio haberi potest. In cynanche faucium hoc viscus flavo muco obtectum cernitur, qui tamen non a bile, sed a lympha illa coagulabili, quae e partibus phlogosi correptis transudat, certe pendet. Si quis denique dicat, linguae sorditiem hinc inde post evacuantium remediorum usum disparuisse, respondeo: hoc nil contra sententiam meam probare, quippe a remediorum evacuantium utilitate non ad gastricam, uti iam dixi, morbi naturam concludere licet.

Si vel obiter in caussas diarrhoeae inquiramus, facile quisque perspiciet, eam saepe praesto esse, quin a saburris, vel a bile originem ducat. Solus timor, quam forte alvi profluvium hinc inde non producit? Pedibus non calceatis super frigido pavimento gressus faciens, quoties a diarrhoea corripitur? In morbis inflammatoriis alvus non raro liquide deponitur, certe non ob saburras, quum testante ipso SYDENHAMO, diarrhoea haec a venae sectione curetur.

Idem de nausea ac vomitu fateamur necesse est, quae iterum saepiusque a longe aliis rationibus, quam a colluvie primarum viarum generatur. „ Sanissimam mulierem rheda vehi, & mox ingentem bilis, seu biliosi liquidi copiam vomitu, excernere videbis; quin pro tanto symptomate ad praegressam huius humoris morbosam accumulationem, vel stagnationem concludere queas. Idem illis contingit, qui se primum navi committunt, marisque fluctibus. A quacunque re, ante sensibiliorum mulierum oculos in

„ gy-

„ gyrum acta, a venae sectione, etiam non co-
„ piosa, vomitus saepe oritur. Fere omnis lipo-
„ thymia a nausea incipit, vomitu vero frequen-
„ tissime finitur bilioso. Vomitus sequiori sexui
„ instantibus menstruis familiaris; & quis non
„ seminis virilis in quam plurimas mulieres effe-
„ ctus noverit, quae paucis a foecundo coitu die-
„ bus, bilem in tam immensa quantitate eiiciunt,
„ ut ne biliosa in febre maiorem esse noverim?
„ Ab ira pluribus mox accedit vomitus. A levi
„ faucium per plumulam irritatione, vel & a
„ digito in illis emetici officium praestante, in
„ sanissimis, bilis praesto est, & largo mox flu-
„ mine assurgit. A sola lucis vividioris, a solis
„ aspectu, vomitus in aliquibus oritur, caeterum
„ sanissimis, & in proverbium abiit, vomitum
„ nobis cieri, ubi rem horrendam spurcamque vel
„ videmus, vel narrando in nobis illius idea re-
„ novatur. Caput vel contusum, vel fractum, vel
„ & caeteri corporis valida concussio, bilem mo-
„ vet saepius aeruginosam, copiosam. Intestini,
„ herniam formantis, strangulatio enormes caus-
„ sat vomitus, & pungente vel renes, vel ure-
„ theres calculo, vomunt aegri bilem copiosissi-
„ mam. Contagiorum natura stomacho infensissi-
„ ma est; primosque fere hic effectus edunt, vel
„ deglutitae cum saliva, vel aliter admotae illo-
„ rum particulae, sic variolarum suscepto conta-
„ gio, & a pluribus aliis contagiorum speciebus,
„ vomitus familiarissimi. Et primo quidem ab
„ omni febrili accessu ventriculus mobilissimus
„ redditur. Quanti non vomitus singulos intermit-
„ tentium epidemicarum paroxysmos concomitan-
„ tur, cum, insequuto hos sudore, saepe nulla
„ latentis bilis indicia observantur? In periculosis-
„ simis peripneumoniis, summe inflammatoriis,
„ a solo consensu, non raro vomituritionem ob-

„ servari est, quam & vomitus insequitur, &
„ hunc oris amaror. Sola tunc venae sectio has
„ turbas compescit. Hepatis, renum, uteri, &
„ vesicae inflammationes bilioso persaepe stipantur
„ vomitu, & funeste illos decipiunt, qui syste-
„ matis biliosi auctoritate capti, symptomata a
„ morbo ipso non separant, illique medendo, caus-
„ sam istius exasperant &c. (*a*)"

Hisce omnibus rite perpensis, neminem me damnaturum fore arbitror, quod in febrium intermittentium curatione (de vernalibus non loquor) nulla praemissa purgatione, mox ad corticem peruvianum confugerim; opium simul in usum vocans, quod testante MORTONIO (*b*), DALBERGIO (*c*), C. F. HOFFMANN (*d*), aliisque, chinchonam ipsius virtutem non raro superat, atque hinc inde imminentem paroxysmum praevenit, vel iam praesentem manifesto fugat, quod iterum iterumque mihi licuit observare. Methodus, quam ad morbum, de quo sermo est, depellendum adhibui, ab illa vix differt, quae ab immortali Italiae medico *Francisco* TORTI adeo commendata fuit. Vir enim ille summi ingenii de febrium intermittentium curatione verba faciens „ quorsum,
„ ait, vergendum est, ut caussa morbifica ex-
„ pellatur? An per vomitum, aut per se-
„ cessum? At, si fermentum febrile saepe saepius
„ eme-

(*a*) I. P. FRANK Prolusio de larvis morborum biliosis. Delect. Opus. Tom. I.

(*b*) De Proteiforme febrium intermittentium genio. Ibid. 12--22.

(*c*) MURRAY Medicin. pract. Bibliot. Tom. III.

(*d*) Dissertatio inauguralis demonstrans, opium vires cordis debilitare, & motum tamen sanguinis augere. Harlevonici 1775.

„ emeticum est atque catharticum, ut experien-
„ tia testatur; & ob id ipsum contumacius; item
„ si fugatis per corticem febribus, quodlibet ca-
„ tharcticum, vel leniens, utut leve, febrem re-
„ vocat, quo iure speranda est expulsio caussae
„ morbificae medicamentis eidem caussae analo-
„ gis, & morbum eundem prius depulsum certo
„ certius revocantibus? &c. „

„ Dicant ingenue, si velint, ipsimet, qui op-
„ ponunt, quot quartanas; quot tertianas, *autu-*
„ *mnales* (de vernis enim non loquor, qualibet
„ methodo, etiam minus recta sicut multo me-
„ lius, si sibi relinquantur, cito solubilibus) per
„ repetitas purgationes sanaverint; vel, si renuant
„ ipsi fateri, dicant tot scriptores a crebro ca-
„ tharcticorum usu spirituum dissolutionem, suc-
„ corum perturbationem, ac viscerum enervatio-
„ nem, loco sanationis succedere clamitantes (*a*)".

Sed ut haec medendi ratio magis magisque pateat, methodum, qua medicus quisque multiplici experientia instructus utitur ad febres intermittentes perniciosas sanandas, paulo attentius considerare opus est. In his enim morbis, licet omnium symptomatum gastricorum comitatu stipatis, quivis prudens practicus, seposita omnino methodo purgante, mox corticem propinat, cuius quidem actio, vix non semper, praecipue si cum hoc remedio opium, vel aliud excitans, quod eius virtutem augeat, coniungatur, felicem exitum habet. At vero si haec methodus gravissimas febres in-

---

(*a*) *Franc.* TORTI Therapeutica specialis ad febres quasdam perniciosas, inopinate ac repente lethales, una vero *China*, peculiari methodo ministrata, sanabiles &c. *Mutinae* MDCCXII.

intermittentes tanta felicitate sanat; cur, quaeso, contrarium evenire debere iudicamus in earundem leviorum curatione, quae quidem a primis nulla profecto alia re, quam gradu discrepant?

Vulgo febres intermittentes, quae typum quartanae absolvunt, difficilioris curationis esse existimatur, quam eae, quae alternis vel singulis diebus in conspectum veniunt. Haec opinio a meis observationibus nequaquam confirmatur. Longe enim maiori felicitate quartanas sanavi quam tertianas, ac has facilius, quam quotidianas. Recte mihi videtur dicisse cl. WEIKARD (a), *asserens*: quo longior apyrexia, eo levior febris intermittens. Febres perniciosae, quae inter singulas febres intermittentes ad graviores pertinent, rarissimo typum quartanae, sed fere semper illum tertianae aut quotidianae servant. Si tertiana febris incongruis remediis pertractatur, non facile in quartanam, sed potius in quotidianam mutatur. Quotidiana febris sub opposita curatione, febris continuae formam assumit. Porro tertiana duplex, quando rite pertractatur, prius in tertianam simplicem, dein in sanitatem sese mutat. Quartana interim febris autumni tempore, in subiecto cachectico, longe magis timenda est, quam tertiana vernalis, quae iuvenem robusta corporis compage donatum aggreditur.

Postremo ut rem complectar, & caput absolvam, lubet unicum tantum casum subiungere.

HI-

(a) Medizinisch-practisches Handbuch, auf Brownische Grundsätze und Erfahrung gegründet. 1796.

HISTORIA (a).

Antonia Barella, puella 15. annorum, nondum menstruata, ruris prius incola, nunc hac in urbe famulae munus gerens, miseria & paupertate oppressa, haec, inquam, puella iam a 14. diebus febre tertiana laborat: quavis nempe tertia die, matutino tempore, a frigore corripitur aegrota, quod hora cum dimidia perdurat; sequitur dein calor, atque postremo ipsa per totam reliquam diem sudore diffluit. Ad ea, quae dixi, accedit oris quoque amaror, linguae sordities: delata puella in Clinicum Institutum die 30. Maii ad vesperas, quo tempore a febre iam declinante detentam observavimus, aderat sitis, vomitus, pondus circa pectus, ventris tensio, tendinum subsultus. Caput dolebat, facies conspiciebatur rubra, & pulsus aliquomodo vibrantes, magna cum frequentia micabant. Domi medicum in auxilium vocavit, qui catharcticum more solito praescripsit. Post hoc, signa iam allata aucta sunt, immo diarrhoea, quae adhuc continuat, orta est. Tunc ob dolorem capitis vena tunditur, & sanguinis magna, ut retulit aegrota, educitur copia. Peracta venae sectione, capitis dolor revera imminuitur; sed caetera symptomata & debilitas quamplurimum augentur. Nos vero, citam sanationem polliciti, sic praescripsimus.

℞. *Aq. menth. uncias sex.*
Laud. liquid. scrupulum unum.

(a) *Aloysius* CORTEMIGLIA P SANI ex *Soriasco* hanc historiam conscripsit.

M. cap. omni dimidia hora unciam dimidiam.

℞. *Pulv. cort. peruvian. unciam unam.*

— rad. serpent. virgin. drachmas duas.

M. D. in viii. part. aeq. cap. un. omni bihorio.

Diaeta 3 cum vini libra una.

Die 31. mane. Diarrhoea caeteraque symptomata gastrica disparuere, lingua cernitur pulcherrima, & pulsus naturalis est.

Repet. pulveres. Laud. liquid. dosis ad xxx. gutt. augeatur.

Diaeta eadem.

Vespere. Nil novi. Sumat medicamenta, quae remanent.

Die 1. Junii, mane. Hora qua febris accedere solebat, aegrota praeter oris amaritiem, nullum accusabat incommodum; calorem cutis tamen aliquomodo auctum invenimus.

Vespere. Febris non accessit; alvus non mota; os adhuc amarum.

Die 2. mane. Disparuit oris amarities, bene dormivit, caeterum nihil morbosi.

℞. *Pulv. cort. peruv. drachmas sex.*

Divid. in iv. part. aequales.

Cap. unam omni trihorio.

Diaeta eadem.

Vespere. De quadam conqueritur anxietate.

℞. *Aq. menth. uncias sex.*

Laud. liquid. Sydenh. gutt. viginti.

Capiat omni hora unciam dimidiam.

Die 3. mane. Bene quievit, os amarum: lingua albidiuscula.

Repet. med. hesterna, cum triginta gutt. laud. liquid.

Vespere. Oris amaror valdopere imminutus; caetera bene procedunt.

Die 4. mane. Nihil praeter debilitatem accusat.

℞. *De-*

℞. *Decoct. cort. peruv. (a) unc. novem.*
Syrup. papav. unc. unam.
Cap. omni biborio uncias duas.

Vespere. Nihil novi; quiescat.

Die 5. mane. Rursus de oris amaritie conqueritur.

℞. *Haust. narcot. (b) uncias tres.*
Cap. omni bora unciam dimidiam.
Diaeta 4.

Vespere. Bene se habet.

Continuavimus in decocto corticis in diaeta, & post paucos dies aegrota sanata domum petiit.

(*a*) Decoctum corticis sic praeparatur:
℞. *Corticis peruviani drachmas sex.*
Aquae communis libram unam.
Coque ad uncias novem.
Colatura detur.

(*b*) Haustus narcoticus sic praeparatur:
℞. *Opii puri granum unum.*
Syrup. papav. albi drachmas duas.
Aquae commun. unciam unam.
M.

CAPUT III.

Febres nervosae.

AD febrium nervosarum classem revocandae mihi videntur febres illae omnes, quae inflammatoriae minime sunt, quaeque a vitio quocunque locali originem non ducunt. Quare illos ego quidem morbos febrium nervosarum nomine soleo appellare, qui a caeteris Practicis *Typhum*, *Synochus*, *Febris gastrico-nervosa*, vel *putrida* dicuntur.

Febres istae nervosae mense praesertim Martii, Aprilis, atque sub initio Maii, adeo copiosae in hac urbe & in tota provincia Ticinensi grassabantur, ut sine dubio epidemiam has induxisse affirmare liceat. Institutum Clinicum LXIII. aegroti hoc morbo laborantes ingressi sunt; qui fere singuli ita graviter aegrotabant, ut licet ex illis IX. amiserim; nihilominus de singulari quadam in hac aegritudine pertractanda felicitate gloriari me posse, persuasum facile habeam.

Pauca nunc de methodo, qua sum usus, singulis morborum historiis, quas dein in medium proferam, praemittere lubet. Omne igitur studium in id intendi, ut nec minimam virium vitalium particulam incaute delerem, immo mox rerum excitantium ope vires aegrotorum sustinerem. Sepositis hinc & catharcticis & emeticis (quae quidem postrema in illo tantum casu utilia esse forsitan possunt, cum morbus a contagio cum saliva in stomachum delato originem duxerit, vel crapula eiusdem ingressum praecesserit), illico cauta, sed larga manu, nunc *Peruvianum Corticem*, aut *Valerianae radicem*, nunc *Serpentariam virginianam*, *Alkali volatile*, *Camphoram*, *Ca-*

storeum, *Moschum*, Aetherem *Vitriolicum*, aut ipsum denique *Opium*, propinavi.

Ingenue primum, quod de *corticis peruviani* in febrium nervosarum curatione virtute sentiam, fatear. Non tanti momenti remedium istud in hisce febribus facio, nisi ipsae ex intermittentium familia oriantur; & harum naturam adhuc servent, quod a Patre meo iam dudum notatum constat (*a*). Cortex enim nisi in decocto porrigatur, aliqua in primis viis subactione vel digestione indiget, quae a ventriculo admodum debili, uti iam alio loco dixi, minime rite perfici posse, mihi videtur. Ex hac caussa in hisce febribus anxietatem, spirandique difficultatem, ac totius systematis irritationem oriri arbitror, quae singula testante MONRO (*b*) & WATSON (*c*) Cinchonae porrectionem saepenumero sequuntur. Cl. CERA (*d*) symptomatum memoratorum cohortem a crasi phlogistica adhuc perseverante deducit. — Sed vix in morbo, in quo nec tertia vitae pars praesto est, de statu inflammatorio systematis cogitabimus. — Quoties ego corticem itaque peruvianum in febribus nervosis praescribo, nunquam in substantia, sed constanter sub decocti forma porrigo. Porro cum ipso decocto aliud pharmacum aromaticum, uti v. gr. *aquam cinnamomi spirituosam*, *valerianae* & *serpentariae virginianae* radicem iungo.

Non raro denique neglecto prorsus in graviori morbo cortice, alia diffusibilia stimulantia ordino, do-

---

(*a*) Epit. de curand. homin. morbis T. I. p. 132.
(*b*) Praelect. Med. ex Cronii instituto. Vol. I. p. 265.
(*c*) Londner. Bemerkungen. 4. Band. p. 128.
(*d*) De febre nosocomiali.

donec restitutis horum ope aliquantum corporis viribus, ad chinam in decocto vel extracto porrigendam progredi liceat. Ex allatis facile cuique erit intelligere, me minime corticem hac mente praescribere, ut putredinem avertam, vel iam praesentem corrigam, sed ea sola ratione, ut fractis corporis vires erigam & tuear. Quaeritur a pathologis, an vera humorum putredo in corpore animali vivo locum habere possit, nec ne? ea quaestio est eiusmodi, ut ei rite tractandae in hoc opere locus plane desit. Quod si quis recte accurateque doceri cupiat, adeat ille quaeso patris opera (*a*); in illis enim clare admodum probatur, *veram* humorum putredinem, in corpore animali *vivo*, locum habere non posse. Fateri interim oportet, quod & pater admonuit, & quod quidem nemo adhucdum negavit, in *typho* aliisque huius generis morbis, aliquam ad putredinem dispositionem vel proclivitatem existere. Ratio & experientia tamen suadent, ut hoc phaenomenon non pro morbi caussa, sed potius pro effectu atoniae totius systematis habeamus. Hinc chinchonae cortex putredinem utique arcet: sed quomodo, precor, arcet? chemica forsitan actione, vel alio mechanico modo id eum credes efficere? minime. Cortex enim iste eadem prorsus ratione, qua caetera auxilia tonica, licet pro antisepticis non habeantur, putredinem avertit, id est vires languentes corporis, quae humorum dissolutioni ac corruptioni favent, excitando.

In febribus nervosis paulo gravioribus, praesertim ubi pulsus *mollis* erat, ex consilio ill. QUARI-

---

(*a*) Op. citat.

RINII (*a*) *camphoram* praescripsi. Huic medicamento, contra auctoritatem CULLENII (*b*), MENGHINII (*c*), aliorumque opinionem, excitantem seu stimulantem vim tribuo. Minime vero camphorae actionem sedativam, plurium animalium repentina mors, pulsuum frequentia imminuta, ac caloris morbosi decrementum, quae omnia non raro ipsius usum sequuntur, probant. Animalium enim improvisus interitus, a MENGHINIO observatus, saepissime actionem violentam virium affectionumque stimulantium sequitur. Quoties non gaudium repentinum & summum, vel ira vehemens, vel demum ignis electricus illico mortem attulere? Quoties non eandem ciborum aut vini abusum consecutam scimus? ideone pro sedantibus gaudium, iram, ignem, electricum fluidum, victum lautum, vinum generosum declarabimus? non profecto. Iam haec si quidem excitent, quod non credam esse qui neget, camphoram *sedare* dicemus? Camphora sedabit, quae ipsa, fatente cl. CERA, & approbante quotidiana experientia, ad drachmas duas porrecta, non raro conclamatos iam in nosocomiali febre aegrotos ad salutem cito restituit? Pulsuum frequentiam a camphora hinc inde imminui, quod ego ipse pluries observavi, concedimus! sed quid inde? An adeo coecutimus, ut ipsam hanc pulsuum frequentiam non videamus a debilitate saepissime pendere? Si vero res ita se habet, quis non perspicit, pulsuum frequentiam a remedio excitante, debilitatem auferente, tolli debere? In morbis a debilitate pendentibus, ipsum vi-

(*a*) De febribus.
(*b*) Mat. Med. Vol. II. p. 290. seqq.
(*c*) Comment. Acad. Bononiens. Vol. V. p. 312.

vinum, quod mehercle non sedat, eundem effectum edit. Idem prorsus de calore febrili, qui iterum saepiusque a camphora aufertur, dicendum mihi videtur. Calor enim ille, in febribus nervosis adeo digitos urens, ac toties a thermometro vel minime confirmatus, nequaquam certe a nimiis corporis viribus proficiscitur. Quid igitur mirum, si vel camphora ipsa, vel quodcunque aliud remedium stimulans, calorem morbosum, ex debilitate ortum, compescit? Ne mihi dicas idem ope camphorae in sano quoque homine, vel in eo, qui morbo inflammatorio laborat, evenire. Age enim, praescribe eam, si tibi animus est, loco venae sectionis, in vera peripneumonia, vel in phrenitide phlogistica, & gratulabor tibi, si contrarium prorsus effectum non videris. Camphoram itaque, ut paucis perstringam argumentum, morbis e virium vitalium defectu oriundis, solummodo accommodatam existimo. Constanter cum exigua huius pharmaci dosi curationem harum aegritudinum, praesertim vero febrium nervosarum aggressus sum, quam dosin gradatim dein ad drachmas duas nycthemeri spatio porrigendam augere solebam. In foeminis tamen, aut in viris valde sensibilibus, a parvis etiam camphorae dosibus, detrimentum haud raro accessisse observavi. De ventriculi ardore, de nausea, ac vomitu loquor, quae symptomata hinc inde usum remedii huius sequuntur.

Ex his rationibus *Moschum*, experimentis haud paucis suffultus, camphorae longe anteponendum censeo. Quamvis enim hoc remedii genus in officina pharmaceutica huius nosocomii ab aliquo iam tempore non optimae notae fuerit, & ut plurimum odorem sibi proprium haud multum spiraverit, nihilominus eius ope quam plures gravissimas febres nervosas, aliis remediis rebelles, sanavi. A scrupulo uno, moschum, usque ad drach-

mas

mas duas, nycthemeri spatio saepe propinavi. Celeberr. QUARINUS hoc pharmaci genus praecipue sub pulsu contracto ac *duro* commendat; ego vero idem sub pulsu molli, tremulo, aut pleno, eodem cum successu adhibui. Quamvis autem non exigua vi stimulatrice moschus polleat, nihilominus tam blande suaviterque agere videtur, ut sensibilissimis foeminis, & viris summopere excitabilibus, apprime accommodatus sit. Urentem ac summum cutis calorem, pulsuum frequentiam maximam, convulsionesque in febre nervosa, ab ipso imminutas non semel vidi, quod tamen, ut dixi, vim eius sedantem nullo pacto probat; quum symptomata haec in morbo, de quo loquimur, non a virium superabundantia, sed a summa debilitate descendant.

Sed de alterius quoque medicaminis, quod regnum animale largitur, usu, mentionem paucis iniiciam: de *Castoreo* nempe, quod ab antiquis medicis non immerito in usum fuisse vocatum existimo. Quas saltem observationes ipsemet institui, eae minime cum illis, ab ALEXANDER (*a*) relatis, qui parum aut nihil virtutis tribuendum eidem contendit, consentiunt. In quibusdam scilicet febribus nervosis castoreum summo cum fructu praescripsi, & constanter stimulantis remedii effectus non obscuros observavi.

Porro *Alkali volatile*, a PRINGLIO Institutis cum carne mortua experimentis, licet ipsum putredinis sit productum, ut magnum antisepticum in febribus sic dictis putridis praescriptum fuit. Ego ipse huius remedii virtutem a vi stimulante, qua

(*a*) Versuche.

qua valet, derivans, atque observationibus a PRINGLIO, & MONROO (a) factis innixus, hoc ipsum in typho cum pulsu frequente atque tremulo, consilio quoque ill. QUARINI adhaerens, porrexi. Quum vero ob ingratum valde saporem odoremque difficillime ac invito aegrotantum animo assumeretur, praeterea quum omnem morborum curationem, quantum per me licet, iucundam aeque ac tutam, celeremque esse ex HIPPOCRATIS; ipsiusque rationis praecepto desiderarem, rarius illud in usum vocavi.

Contrarium de *Aethere Vitriolico*, admodum grato, dummodo aciditatis expers sit, dicendum, quod medicamen iterum iterumque, usque ad unciam unam, viginti quatuor horarum spatio, summo cum fructu in morbo, de quo nobis sermo est, propinavi.

Ad *Opium* me converto, quod, utpote excitans summum, certe in febrium nervosarum curatione ad potiora pertinere remedia existimari debet, quod & ratio & experientia demonstrat. Ne tamen cuidam virtutem excitantem huic pharmaco praepostere & a me tribui videatur, rationes praecipuas, quae istam sententiam confirment, roborentque, adducam. Iam primum natura ipsa opii vim stimulantem probat. TRALLESIUS (b) ita de eo sese exprimit: „ Amara hercle & acria si-
„ ne exceptione omnia, ut dixi, rectissime a ve-
„ teribus pro calidis habita; ingesta in corpus,
„ eius calorem increscere faciunt, quidni eundem
„ effectum etiam ederet ipsum opium "? HALLE-

(a) Praelect. Med. ex Cronii instituto. Vol. I. p. 267.
(b) Usus opii Tom. I. p. 73.

LERUS opium eadem ratione, ac spiritum vini in corpus humanum agere existimat; & MEADIUS actionem huius remedii cum salium volatilium vi comparat. Quare si spiritui vini, & salibus volatilibus tribuere non dubitamus vim excitantem, quid quaeso est, quod contrariam prorsus, sedantem nempe, opio adscribendam putemus? Enim vero, si hoc pharmacum vires corporis animique imminueret, sive, quod idem sonat, sedaret, cur, precor, Turcae ante praelium opium assumerent? „ Sed serio verum est, ait MEA-
„ DIUS, opium serenare mentem, eandemque ad
„ lusus & jocos disponere, si vel morosa, vel au-
„ stera ante fuerit; atque ex Catonica fronte
„ asperas extergere rugas, & eandem extendere in
„ mollem planitiem ". „ Ab opio, inquit FREIND,
„ animus alacer, vegetus, pacatus, vigil, vires
„ corporis instauratae, quod praecipue experiuntur
„ qui opium interdiu parciore dosi assumunt ".
Debilitas summa, quae post opium sumptum saepe in conspectum venit, eius vim sedantem certe non testatur; nam idem prorsus effectus actionem cuiusvis stimuli fortioris consequi solet. Haec observatio TRALLESIUM (*a*) minime latuit; qui „ eapropter, inquit, facile largior, post
„ opium assumtum languere circulum, non vero
„ ante, quam praegresso eius ad tempus citatiore
„ impetu, debilitatem tandem post se relinquen-
„ te. Id vero solemne est, & observatu familia-
„ re, ab omnibus, quibuscunque sanguinis celeri-
„ tatem augentibus, & incitantibus. Motu corpo-
„ ris

(*a*) *De vi cardiaca opii*, *ad* LUDWIGII disquisitionem de vi opii cardiaca, humanissima responsio.

„ ris voluntario, cursu, saltatione, sermocinatio-
„ ne, cantu &c. cruoris in orbem itus & reditus increscit; quo magis increverit, & ultra suetas vires fuerit evectus, eo magis his exercitiis finitis, virtus vitalis lassata offenditur". — Id ipsum ab analogia, quae opium inter ac vinum intercedit, mirifice confirmatur. Helluones enim matutinis horis cuncta debilitatis symptomata aeque ac ii, qui opium sumpserunt, patiuntur, quae non prius evanescunt, quam alteram meri portionem hauserint. Eadem prorsus vis opii. „ Quolibet in casu, inquit HUXHAM, largae opii doses magnam relaxationem & universalem efficiunt debilitatem, quam nihil, quam nova post aliquod temporis spatium dosis, aut calidum cardiacum levat: effectu cum liquoribus spirituosis opiata conveniunt, qui temporarium furorem, aut stuporem excitantes, debilitate universali, tremore, & maxime spirituum deiectione finiuntur". Hac ipsa ratione somni, qui opium sumptum sequi solet, originem explicandam arbitror. Facultas enim procreandi somnum aut soporem, qua hoc pharmacum pollet, minime ab eius vi propria, sic dicta *Narcotica*, sed ab actione stimulante dependet. Nam tantum abest, ut somnum constanter inducat, ut eum non raro adeo avertat omnino, & excutiat. „ In vigiliis, inquit TRALLESIUS (*a*), a motu aucto & inflammatione haud pendentibus, locum habere potest opium, sed si ab illis pendeant, nocet". Accedit cel. ac ingeniosissimi Viri, C. F. HOFFMANNI (*b*) ob-

(*a*) Usus Opii. Tom. II. p. 84.
(*b*) Dissert. iam citata VVIRTHENSONII.

observatio, qui cum aegrotam a febre perniciosa lethargica detentam solo opio adhibito excitaverit; id hinc inde contrariam narcoticae virtuti actionem exerere, demonstravit. Ego ipse foeminam, quam fungorum venenosorum esus lethargicam reddiderat, cuiusque extremitates iam frigebant, quin, cui ipsum iam lethum instabat, septem drachmis *laudani liquidi* SYDENHAMI, quadraginta horarum spatio evigilavi, ac ad sanitatem restitui (*a*).

Non pauci medici opii sedantem actionem a facultate, qua irritabilitatem ac sensibilitatem extinguit, derivandam crediderunt. Haec observatio tamen magis magisque vim opii excitantem comprobat. Universi scilicet stimuli, ratione virium, quibus agunt, illum effectum plus minusve conspicue edunt (*b*). Sic calorem, alkali volatile, electricitatem, quae certissime stimulant, sua hominem irritabilitate & sensibilitate exhaurire facile fatemur. Cur soli opio, quod eodem prorsus effectu cum illis convenit, eandem vim excitantem negaremus? Si porro opium revera vim sedantem possideret, cur quaeso, omnes uno ore fatentur medici, id in morbis, qui a vi vitae nimia originem trahunt, nocere? „ Opium non quadrat ingenio inflammationis „ : haec TRALLESII (*c*) sententia est. Alio loco summus hic practicus: „ Cephalalgias, inquit, ple-
„ thoricas & ab impetu circuli atque orgas-
„ mo pendentes, quae haemorrhagia narium hinc
„ inde solvuntur, atque venae sectione, cucurbitu-
„ lis, sanguisugis, purgantibus antiphlogisticis levan-

(*a*) JONES op. citat. Tom. I. Nota 20.
(*b*) Element. Med. BRUNONIS.
(*c*) Op. cit. T. II p. 84.

„ tur, semper peiores reddit opium, quin & pe-
„ riculosos sopores, immo & apoplecticos insultus
„ allicit, tantum abest, ut illas leniat. — Probo
„ dehortationes iustas eruditissimi TRILLERI,
„ qui opiata in pleuritide exitialia prorsus & in-
„ ternecina declarat. Summa scilicet necessitas
„ repetitis vicibus sanguinem detrahendi, alta vo-
„ ce abstinendum esse ab opio, prorsus contraria
„ actione agente, clamat: quod ipsum notare non
„ est oblitus YOUNG". Minime tamen ignoro, usum opii a nonnullis in peripneumonia, in variolis benignis, aliisque morbis commendatum fuisse; quod quidem praeceptum, si aegritudo revera fuerit phlogistica, pessimum esse indico. Si vero peripneumonia, vel quisque morbus inflammatorius, ob nimium remediorum debilitantium usum, vel etiam contraria ratione, in diathesin oppositam transiverit, prodest utique opium, sed non in morbo inflammatorio tunc prodest. Sic e damno, quod hoc remedium in morbis phlogisticis attulit, eius vim excitantem, indirecte saltem, confirmatam satis habeo. Nunc ut directe hoc idem ostendam est opus, quod quidem, utilitatem eius summam in morbis ab atonia pendentibus consideranti, haud difficile esse putaverim. Celeb. GEOFFROY „ mi-
„ ram quandoque virium vitae recreationem in
„ quibusdam semimortuis, & ad extrema redactis
„ inde evenire testatur". TRALLESIUS exclamat: „ Licet mihi hic denno provocare ad SY-
„ DENHAMUM, qui aegro ob vomitus & con-
„ vulsiones animam agenti, pulsu vix micante &
„ sudore frigido iam praesente, generosa valde
„ laudani dosi, cum vita naturalem calorem re-
„ duxit". Idem summus Vir, BARDII obiectionibus respondens, sic scripsit: „ explicet mihi
„ BARDIUS, quomodo aeger dysentericus celeb.
„ RAMAZINI gelidus totus & sine pulsu vivens,
„ a

„ a frigido per hypothesin opio excalefactus fue-
„ rit „? Sed ab opio spasmos, convulsiones, dolores & alia symptomata sedari, ut ipsius virtutem sedantem probent, sunt qui obiiciant. Sedat utique opium haec symptomata; quis enim tale quid negavit; sed quomodo precor; sedat? Nulla alia profecto ratione, quam caussam morbi, seu debilitatem tollendo. Legi meretur circa hanc rem dissertatio Doct. STEWARD (*a*). Quum vero illi, qui sedantem opio virtutem tribuunt; opinionem suam contra tot experimenta contraria non potuerint defendere, duplicem huic pharmaco facultatem; sedantem scilicet ac excitantem adscripserunt. Ratiocinandi huic prorsus singulari methodo; nemo melius; nisi fallor, quam TRALLESIUS, respondit: „ Eapropter, ait, quidam boni
„ viri non erubuerunt publice profiteri, simul &
„ frigidum & calidum haberi debere opium. —
„ Lepide sane! miror ego, cur non potius tepi-
„ dum (*b*) “.

Hisce omnibus circa modum, quo opium agit, praemissis, pauca nunc de huius medicamenti usu, in febrium nervosarum curatione, subjiciam. Maxima medicorum pars iam dudum illud in hoc morbi genere; ut cephalalgias, convulsiones, vomitum, diarrhoeam, vel alia symptomata sedarent; praescripsere. Pauci vero, praeter racentiores, sunt ii, qui opium ea ratione abhibuerunt, ut debilitatem ac virium resolutionem tollerent, atque restaurarent. Hoc scopo paucis abhinc annis, ipso in *typho* opium cum summo fructu a

---

(*a*) STEWARD de Spasmo.
(*b*) Op. cit. T. I. p. 69.

BRUNONE (a), WALL (b), CAMPBELL (c), in usum fuit vocatum. Quod meam spectat experientiam, ingenue fatear, me nunquam febris nervosae curationem solo cum opio suscepisse, quum caeteris, maiori auctoritate gaudentibus remediis, sat contentus fuerim. Ad vesperas tamen, vel etiam interdiu simul cum caeteris pharmacis, non raro etiam in morbo, de quo sermo est, laudanum, nunquam tamen ultra guttulas sexaginta, gradatim porrexi, & cum fructu porrexi. Neque enim indiscriminatim hisce febribus opium apprime accommodatum esse arbitror; quae opinio aliquomodo cum illa celeb. WEIKARDII (d) consentit. Duo enim febrium nervosarum genera, respectu caussarum, a quibus producuntur, admittenda censeo; quorum unum a caussis directe debilitantibus, uti ab inedia, tristitia, frigore, corporis animique inertia &c. originem ducit; alterum vero a noxis nimia vi agentibus, v. g. a crapula, ebrietate, ira, calore summo, motu corporis nimio &c. nascitur. Primo in casu, corpus valde sensibile vel excitabile fit, ac stimuli parum admittit, qua de re morbi curatio cum remediis minime excitantibus suscipienda, & gradatim ad fortiora procedendum est, quod quotidiana experientia in famelicis, refrigeratis, aliisque confirmat. Sub hac rerum positione, opium, quod vehementer stimulat, summa cum cautela propinandum, vel etiam, si id fieri potest, omnino omittendum. Nam vix non semper a parvis admodum

(a) Elem. Med. JONES op. cit.
(b) Use of opium.
(c) Use of opium.
(d) Entvvurf &c.

dum huius remedii dosibus, vomitum, oculorum obnubilationes, sudorem nimium, ac soporem consecutum observavi. Ubi vero debilitas a praecedente stimulantium actione nimia pendet, quum corporis sensibilitas tunc exhausta, stimulum exiguum non sentiat, ac requirat perferreque maiorem possit, opium perutile ac salutiferum inveni. Tunc a sat larga ipsius dosi porrecta, citam virium recreationem, atque febris imminutionem provenisse, aliquoties, nullo abhinc orto incommodo, observavi. Cuiusmodi exemplum in historia Nro. VII. posita, videre licet.

Pauca nunc, quae modum, quo pharmaca aegrotantibus suppeditanda videntur, attinet, dictis addere, non abs re esse puto. Pessimus medicorum mos est, remedia tempori intervallis nimis longis interpositis, ac tum dosi nimis larga pro unico haustu, exhibere. Qui valde debiles & sensibiles sunt aegroti, illi a minima excitantium copia facile irritari, immo magis adhuc magisque debilitari solent. Porro, quum actio remediorum volatilium valde sit brevis & fugax, atque cuiusque stimuli fortioris actionem debilitas insequatur, hinc curationem febrium nervosarum, aliorumque similium morborum citam rectamque nunquam fere obtinemus, nisi medicamenta huius naturae, brevissimis temporis intervallis, repetita & exigua dosi pro unica vice suppeditemus. Quippe quod hoc modo, antequam effectus primae pharmaci dosis evanuit, iam secunda illum dosis sustinet ac auget, & sic usque ad finem morbi. Haec cum saepe multumque perpenderim, omni quarta horae parte, vel saltem omni dimidia hora aegrotantibus valde debilibus, pharmaca, quae in hoc casu volatilia seu diffusibilia esse debent, subministranda curo. In melius demum vergente morbo, quo tempore dosin remediorum, quae fugace

 pol-

pollent agendi modo, imminuo, & alia quae minus excitant, sed quae virtute magis permanente dotata sunt, propino, tunc, inquam, longe maioribus intervallis pharmaca ista administrari iubeo. Solis enim excitantibus volatilibus nullius morbi curationem confidendam esse arbitror, sed quamprimum alia auxilia in usum vocanda sunt, virtute magis firma stabilique praedita. Hoc modo excitatis ope remediorum volatilium corporis, & praecipue stomachi viribus, mox ad corticem peruvianum, ad extracta amara, ad martialia aromaticis iuncta ascendendum.

Maximi momenti, rebus ita positis, immo sub augmento etiam morbi cuiuscunque asthenici, puto esse victum viribus aegrotantium accommodatum. In febribus nervosis praesertim exiguae utilitatis sunt medicamenta quaelibet, ac vires vix vel saltem lente admodum restituuntur, nisi cibos valde nutrientes saepe, sed copia non magna, concedas.

Nulla alia re magis, quam in ciborum, qui in typhi curatione ab omnibus fere Practicis praescribuntur, electione, veneficum theoriae de humorum putredine influxum, conspicere nobis licet. Nam in hoc morbo, in quo totius systematis, praecipue vero stomachi vires languent, in quo saepe vix tertia vitae pars reliqua est, & ab omnibus remediorum excitantium necessitas agnoscitur; ac in quo postremo sana ratio victum nutrientem suadet, in hoc ipso morbo, inquam, a sola theoria illudi sibi patientes, fructus horaeos, aliaque vegetabilia praescribunt. Enimvero qui oeconomiam animalem vel obiter cognoscit, ab eo victu febres nervosas potius oriri, quam sanari, facile intelliget. Ego saltem pro certo habeo, victum vegetabilem potius putredini favere, quam

eam

eam arcere, quum proclivitas humorum ad dissolutionem a debilitate pendeat. Quod quidem experientia quotidie in rusticis nostratibus cuivis recte consideranti manifesto demonstrat. Hi quippe vix semel in anno carnem extremis labris gustant, ac solis vegetabilibus vescentes, nulli magis, quam putridae, ut appellant, febri sunt obnoxii. Rarissime contra, si miserorum cum classe conferas divites, qui praesertim in Insubria nostra, praeter carnes nil fere comedunt, hisce febribus laborant. Hinc carnes, si putredinem humorum admittendam censes, ad *antiseptica* pertinere, pro certo statuas velim. Adnotari mehercle humanas inter contradictiones meretur, medicos, uno quasi ore fatentes, victum vegetabilem a ventriculo debiliore vix subigi, homines a religiosis praeceptis hunc eundem ad victum coactos, lubenter hoc ipso a praecepto absolvere, carnesque illi substituere, laudare; — cum vero debilitas adeo, ut oriatur febris, increverit, mox carnes austera fronte prohibere, ac victum vegetabilem, sub minori longe debilitate a mensis proscriptum, pro salutari ac necessario habere, commendare. Ego, contra, aegrotis, qui febribus nervosis detinentur, experientia fida duce, saepe in die, non gelatinas quidem ut quae difficilius subiguntur, sed juscula carnea, & si vires ventriculi id permittant, ova atque ipsam adeo carnem commendo & porrigo. Idem summo cum fructu ab ill. Professore SCARPA factum centies vidi. Parens quoque optimus hanc methodum a multis iam retro annis, ac certe antequam BRUNONIS theoria apud nos innotuerit, tanta cum felicitate sequitur, ut in eius aegrotis non modo nullam hac a ciborum indulgentia noxam, sed utilitas quamplurimum conspicere potuerim. Ipse certe HIPPOCRATES de victu nimis tenui sub

morbis adeo acutis, non eandem cum medicis hodiernis opinionem fovebat, dicens: „ Tenues & „ exacti victus & in *longis* semper affectionibus, „ & in *acutis*, ubi non expedit, periculosi sunt: „ & rursus; victus ad extremam tenuitatem pro„ gressi, difficiles sunt; & repletiones ad extre„ mum progressae difficiles sunt. In tenui victu „ delinquentes aegrotantes magis laeduntur. Omne „ enim delictum quod committi poterit, magis „ magnum committitur in tenui, quam in paulo „ pleniore victu (*a*) “. Interim cum idem hic medicinae parens alibi dixisset: „ Ubi quidem *pera„ cutus* est morbus, statim etiam extremos labo„ res habet, & extremo tenuissimo victu uti ne„ cesse est (*b*) “; ausus iam est celebris quondam apud Veronenses medicus, *Petrus a* CASTRO, HIPPOCRATIS auctoritati reluctari (*c*), dicens: „ circa quantitatem (ciborum in his febribus) „ aliquantulum a communi HIPPOCRATIS do„ ctrina esse discedendum, nec semper respectu ad „ morbi vigorem cibos esse mensurandos. Ha„ bere quidem solet haec febris breviter extremos „ labores, sed brevius extremas resolutiones. In „ tenui victu igitur aegri delinquunt, quoniam in „ crassiori, aut symetro iuvantur. Iam GALENUS „ de peste monuit, fortissimos homines, qui, vim „ sibi ipsius afferentes, cibum oblatum assumse„ runt, omnes fere superstites fuisse (hist. 3. „ Vulg. com. 3. text. 55.) hinc ne in principio „ mox multa adeo diaeta est ordinanda; praeser-

„ tim

(*a*) Aphor. Sect. 1. Aph. IV. v.
(*b*) L. c. Aph. vij.
(*c*) De febre maligna puncticulari. Patavii 1686.

„ tim ubi largae evacuationes, lipothymiae, &
„ summa virium prostratio praesto sunt ".

Praeter victum nutrientem, modicam, pro re nata, vini copiam, aegrotis febre nervosa, vel quocunque alio morbo a debilitate pendente, laborantibus concedo. Inutile profecto esset ac superfluum, hoc loco vini laudes canere, quum id iam a summis in arte medica viris factum sciamus. Si qui sunt vel medici, vel Artis huius ignari, qui usum vini generosum in morbo, de quo agitur, contemnendum esse credant, hos omnes ego, verbis parcens, & pacis amans, HUXHAMI (*a*), WEIKARDII (*b*), TODII (*c*), PRINGLII (*d*), aliorumque adeant opera, oro atque obsecro.

Sed quum non sine difficultate & aliquo discrimine tantam vini meraci copiam praescribere possumus, ut pro potu ordinario inservire queat; & quum aqua fontis sitim a debilitate ortam non solum non arceat, sed immo non raro evidenter augeat, & hinc inde in nauseam vel ipsum in vomitum vertat; hac de caussa alium, magis proprium, potum excogitandum existimavi. Potus hic, quem *excitantem nuncupo*, ex duabus libris aquae fontis, & uncia una spiritus vini rectificati, cum una alterave uncia mellis despumati coniuncta, conficitur. Sitim in febribus nervosis, aliisque huius notae affectibus, mirifice imminuit vel extinguit, & gratus admodum parvique pretii est.

Re-

(*d*) In variis operorum suorum locis.
(*c*) Medic. chirurg. Biblioth. III. Band. 2. Art. p. 20.
(*e*) Opera omnia.
(*g*) An account of the jail fever, or Typhus carcerum, as it appeared at Carlisle in the jear 1781.

Remanet, ut de aliis quibusdam auxiliis, de *clysmate*, *balneis tepidis*, ac de *vesicantibus* pauca referam.

Clysmata, quando largas evacuationes cient, in febribus nervosis propter debilitatem quae sequitur, noxia certe sunt. Dein alvi obstructio, licet per aliquos dies protracta, in hoc quidem morbo, rarius & exigua, immo nulla saepe incommoda procreat, quod & observationes Doct. CAMPBELL (*a*) testantur. Hisce recte perpensis rarius quoque in hac febre clysmata in usum vocanda censeo, aut saltem talia adhibenda sunt, quae simul quoque stimulent. Hinc omissis oleosis, salinis, cum *infuso chamomillae*, *aut chinae decocto*, *laudanum liquidum*, *assam foetidam*, *camphoram*, ano iniicienda curo. Hoc modo intestinis ac systemati universo tonus restituitur, qui efficit, ut evacuationes sponte, ab omni debilitate conspicua seiunctae, sequantur.

Balnea tepida, quae nequaquam, ut creditum est, debilitant atque relaxant, immo quod cl. MARCARDII (*b*) observationes demonstrant, corroborant excitantque, hac ipsa e caussa in febrium nervosarum curatione non parvi momenti esse arbitror. Opinio haec ab experientia celebr. LENTINII (*c*) aliorumque confirmatur. Ipse non sine fructu balnea tepida, in morbis a debilitate oriundis fere omnibus, sed praecipue in febribus nervosis, adhibui. Quotiescumque aegroti tamen sudabant, quod saepius vidi accidisse, maiorem de-

---

(*a*) L. c.

(*b*) Ueber die Natur und den Gebrauch der Bader. 1793.

(*c*) Memorabilia circa aerem, vitae genus, sanitatem & morbos Claustaliensium, Gotting. 1779. p. 24. seq.

debilitatem constanter accusabant, quare hoc remedio rarius utor.

Ubi de morborum phlogisticorum curatione locutus sum, de *vesicantibus* mentionem inieci, ea, ob facultatem irritantem, qua pollent, pro noxiis declarans. Haec inde remedia in opposito morbi genere, ubi scilicet excitantia requiruntur, utilia esse debere, sequitur. Et revera ita res se habet. Necesse est interim, vesicantia uti *rubefacientia* applicari, ne cutis erosionem serosa evacuatio, quae certe debilitaret, sequatur; maxime vero ne gangraena, vel ulcus difficilis curationis in parte iam debiliore inducatur. Observari aliquomodo meretur, me, quum plurima vesicantia in uno eodemque aegroto, ac minimis temporis intervallis, iterum iterumque adhibuissem, nunquam tamen ad vias urinarias incommodum quoddam animadvertisse.

Non est cur ultimo loco dicam, me ad curationem febrium nervosarum ex omni parte absolvendam, ad mentis regimen quoque confugisse, ne aliquod pathema animi deprimens, vires corporis imminueret, itaque effectum caeterorum excitantium deleret. Aeque supervacaneum censeo, methodum, quam apud convalescentes ex hoc morbo in usum vocavi, fusius exponere. Illis enim motum, aeris liberioris respirationem, cibos nutrientes, vinum, ac magis debilibus decoctum chinae consului.

Descripta sic obiter methodo, qua in febrium nervosarum pertractatione usus sum, nunc aliquas ex praecipuis morborum historiis in medium adducam. Duo casus, quos nunc exponam, ob signorum gastricorum cohortem, excitantium remediorum ope expulsam penitus & fugatam, imprimis observatione digni mihi videntur.

HI-

HISTORIA MORBI I.

Theresia Quaerioni ex loco Giusago, quadragesimum secundum aetatis annum attingens, iam a sex mensibus catameniis orbata; quindecim abhinc diebus a tussi, cephalea, & horripilationibus prehensa est. His die nona Ianuarii anorexia, morositas, ac ad vesperas ingens frigus per horam durans, quod insecutus est calor, adsociata sunt. Febris est continua remittens, atque summo cum capitis dolore, & vomitu materiei amarae admodum, & viridescentis stipatur. Chirurgus tertia morbi die in auxilium vocatus venae sectionem instituit. Debilitas inde magis magisque augetur, ac iactationes, anxietas magna, nec non exhauriens diarrhoea in conspectum venit. Medicus accersitus pharmacum, nescio quod, sine levamine praescripsit; qua de caussa aegrota ad vesperam diei decimae quartae Ianuarii ad Clinicum Institutum se deferendam curavit. Ibi circa caussas morbi ipsius interrogata, aeris intemperiem, nimias defatigationes, victum pravum, prorsus vegetabilem, habitationem humidam, oryza circumdatam, accusavit. En quaenam symptomata, praeter febrem, observaverimus. Aderat anorexia, oris summa amarities, lingua humida, albo muco obtecta; ructus nidorosi; anima foetens; pondus ad stomachi regionem, labii inferioris tremor, facies collapsa, vomitus, diarrhoea, tussis. Arteria, quae debilis, & contracta erat, centum tres pulsationes in minuto primo ostendebat.

℞ *Decoct. cort. peruv. uncias duas.*
Aquae cinnamom.
Haustus narcotici ana unciam unam.
M.
Capiat omni hora unciam dimidiam.
Diaeta I. Vini libra una.

15. Ian.

Mane. Melius se habuit. Os minus amarum; alvus ter mota, vomitus nullus; aliquo modo quievit. Pulsus minus frequens, caetera ut heri.

Repet. singula.

Vespere. Semèl vomuit ob aquam frigidam assumptam; alvus bis mota; caetera ut supra.

℞. *Aquae cinnamom. uncias tres.*
Decoct. cort. peruv. uncias septem.
Haust. narcot. unciam unam.
Capiat eadem ratione.
Potus excitans.

16. Iàn.

Mane. Optime quievit. Oris amaror nullus, alvus non mota. Tussis cum sputis tenacibus. Ad latus sinistrum pectoris dolor insurrexit.

Repet. medicina sine haustu narcotico, cum uncia dimidia extracti chinae.

Diaeta eadem.

Vespere. Inquieta fuit, ac insomniis perterrita. Vix comparent ructus illi nidorosi. Appetitus nullus.

℞. *Aquae cinnamom.*
Haust. narcot. ana unc. ij.
M.
Capiat quatuor vicibus.

17. Ian.

Mane. Optime quievit. Alvus non mota; omnia symptomata gastrica disparuere. Dolor capitis immi-

minutus; ille vero, qui ad pectus insurrexit; pariter ac tussis, adhuc saevit.

Repet. medicina, uti heri mane.

Diaeta II. cum dimidio columbae.

Vespere. Victum gustavit. Tussis & dolor sopiuntur. Appetitus melior.

℞. *Vini malacensis unc. vj.*

18. Ian.

Mane. Bene dormivit; alvus semel mota; tussis & debilitas minor. Signa gastrica hucusque neutiquam comparuerunt.

Diaeta eadem, cum Vini Libris ij.

℞. *Pulv. cort. peruv. unc. unam.*

——— *cinnamom. drachm. unam & dimidiam.*

M.

Divide in doses aequales viij.

Capiat omni bihorio unam.

℞. *Vini malacens. uncias tres.*

Capiat paulatim.

Vesperi. Omnia procedunt valde bene.

℞. *Vini malacens. unc. vj.*

19. Ian.

Mane. Bene dormivit. Urget multum lateris dolor, ac tussis.

Repet. Singula. Vesicans, ut rubefaciens, ad locum dolentem.

Vesperi. Dolor imminutus; tussis continuat. Vinum ter evomuit.

℞. *Decoct. cort. peruv. unc. vij.*

Aether. vitriol. drachmam dimidiam.

M.

Capiat omni hora unciam unam.

20. Ian.

Manc. Melius se habet. Discessit dolor; nec non tussis.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias septem.*
Elixir vitriol. drachmam unam.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
M.
Capiat omni biborio unciam unam.
Diaeta III.

Ab illo tempore de die in diem sé melius habuit, ac lautiori victu concesso, post breve tempus nosocomium dereliquit.

Petrus VIGO *M. D.*
Ticinensis.

HISTORIA MORBI II.

Maria Theresia Cerulli, quindecim annorum puella, nondum menstruata, narium haemorrhagia ab aliquo tempore laborat. Haec ipsa iam a 15. circiter diebus anorexiam, oris amaritiem, nauseas, corporis debilitatem persentiit, quibus omnibus febris continua remittens quoque accessit. Die 20. Martii, nulla antea facta medela, Clinicum Institutum adiit, cum pulsu debili, non tamen frequenti, cum facie ruberrima, & aliqua cephalaea. Paucis abhinc diebus iterum epistaxis in conspectum venerat. Nunc summam oris amaritiem, nauseas, immo & vomituritiones accusabat. Lingua albo muco obducta erat. Morbo pro febre levi nervosa declarato, ac bona prognosi instituta, sequentia praescripsimus.

℞.

℞. *Decoct. cort. peruv. unc. novem.*
Haustus narcot. unciam unam cum dimidia.
M.

Sumat omni hora unciam dimidiam. Potus excitans.

Diaeta II. cum Vini libra una.

25. Martii.

Mane. Noctu febris exacerbata est, nunc vero remittit.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Extract. cort. peruv. drachmas duas.
Aquae cinnamom. unciam unam.
M.

Capiat omni bihorio unciam unam cum dimidia.

Repetantur reliqua, addatur Frictura *(sic dicta).*

Vespere. Febris versus meridiem exacerbata, nunc vero imminuta est. Continuant eadem symptomata.

Repetat. medicina, cui adde laudan. liquid. SYDENH. *guttas quadraginta.*

26. Martii.

Nocturno tempore aliquo modo febris increvit, nunc vix non integre cessantem invenimus.

Repet. omnia.

Diaeta lautior.

Vespere. Vix aliqua in pulsu frequentia praesto est. Oris amarities ac nausea disparuerunt; lingua pura est, ac vires redeunt.

℞. *Hausti narcot. uncias duas.*
Capiat sex vicibus.

27. Mart.

Mane. Aliqua febris.
℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Aether. vitriol. drachmas duas.
M.
Capiat omni hora unciam unam.
Vespere. Eodem modo se habet.
℞. *Haust. narcot. uncias duas.*
Capiat sex vicibus.

28. Mart.

Mane. Bene se habet, ac febre liberam se ostendit puella.
℞. *Decoct. amar. uncias sex.*
Elixir. vitriol. drachmas duas.
M.
Capiat unciam omni bihorio.
Diaeta IV.

Post aliquot dies nosocomium, perfecte restituta, reliquit.

TRINCHINETTI *Mediolanensis*
M. D.

HISTORIA MORBI III.

Sutor Ticinensis, 50. annos natus, ante triennium febre sic dicta putrida laboravit, a qua in nosocomio nostro post tres tantum menses aegre sanatus est. Nunc iterum laboribus, non prae corporis firmitate, sed prae summa egestate incumbens, parum nutriente victu utens, a tristitia, debilitate, & anorexia, ac a diarrhoea, prehensus est. Alvum enim sexies, & saepius liqui-

dam, & copiosam deponit in nycthemero. Duodecim abhinc diebus febris frigore stipata occurrit, quae hucusque aequali fere vi continuat. Capitis tunc dolorem, propensionemque summam in somnum accusabat. Chirurgus in auxilium, vel potius in perniciem vocatus, ob capitis dolorem, uti huius farinae homines solent, venam secuit: quo facto, omnia in peius ruebant. Ad Clinicum Institutum die 10. Maii se deferri curavit aegrotus. Dolorem capitis molestum valde; oculorum aciem imminutam, debilitatem magnam, aurium tinnitum, oris amaritiem, ac tussim accusabat. Abdomen attactum perferre non potuit. Alvus vero iam a duabus diebus clausa erat. Pulsus parvus valde, ac naturali tardior persentiebatur. Morbum pro febre nervosa declaravimus, ac de salute aegrotantis, licet dubia, tamen sperantes, sic praescripsimus.

℞. *Decoct. corticis peruviani uncias novem.*
Laudan. liquid. guttas triginta.
M.
Capiat omni hora unciam unam.

11. Maii.

Mane. Non dormivit nocte praeterlapsa, alvumque quater liquidam deposuit. Caetera eodem modo se habebant.

Repet. medicin.
℞. *Vini malvatici unc. vj.*
Capiat pedetentim.

Vespere. Bis alvum deposuit; aliquo modo appetit.

Repet. omnia.
Diaeta 2. *cum* Frictura.

12. Maii.

Mane. Multo melius se habuit.
Repet. singula.

Vespere. Copiose sudavit, ter alvum deposuit, ac dolores hinc inde ad abdomen persentit.
Repet. omnia.

13. Maii.

Mane. Melius se habere fatetur. Alvus clausa; bene dormivit; pulsus vix non naturalis; meliorem victum exoptat.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Laud. liquid. SYDENH. *guttas decem.*
M.
Capiat omni bihorio unciam unam.

℞. *Vini malacens. uncias sex.*
Diaeta III. cum libra una Vini.

Vespere. Optime se habebat. Per cubile ambulavit.

℞. *Haust. narcot. unciam unam.*
Capiat binis vicibus.

14. Maii.

Mane. Nihil novi.
Repet. Haust. narcot.
Habeat diaet. III. cum Vini libra & Frictura.

15. Maii.

Vires celeriter redeunt, alvum naturaliter deponit.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Capiat omni biborio unc. iij.
Diaeta eadem.

16. Maii.

Mane. Nihil, nisi *diaeta IV.*

17. Maii.

Mane. E nosocomio integre restitutus egressus est.

MORESCHI, *Mediolanensis M. D.*

HISTORIA MORBI IV.

Theresia Raina, ex S. *Nazaro*, pluries mater, 34. aetatis suae annum nunc agit. Ante lustrum, partum gemellum in lucem edidit, ex quo tempore debilis, & morosa evasit. Ineunte anno elapso iterum concepit, atque sat bene usque ad septimum mensem se habebat, quam paucorum dierum spatio corporis totius anasarca in conspectum venit. Deambulatio, & supina in lecto iacendi potestas deperit; dyspnoea, tussis sicca, anxietas, frequens lipothymia accedit, & misera sic anxia partus absolutionem exspectabat. Adhibitis illo tempore incassum non paucis remediis sic dictis diureticis, tandem a barbitonsore venae sectio instituta est, quae quidem operatio a medico, forsan

san magis adhuc ignaro, iterum repetita fuit. Feliciter nihilominus enixa mense Octobri anni 1794., filii curam alteri foeminae commisit. Post triduum ad vesperas forte corripitur frigore, cui post horam aestus supervenit tota die durans, absque ardore, novae exacerbationi pariter ad vesperas viam faciens; comitantibus oris amaritie, anorexia, capitis pondere; aurium continuo tinnitu, siti, levi nausea, ac liquidis & frequentibus alvi deiectionibus. In hoc pravo rerum statu incassum remediis, nescio quibus, pertractata, Clinicum die 3. Martii adiit Institutum, ubi, praeter memorata, & sequentia adnotavimus. In gena dextra ab uno die tantum erysipelas eodematodes, semilunaris figurae, observabatur. Febris urgebat valde, cum pulsu frequentissimo, pleniusculo, & aliquantum vibrante, sexies in die alvum liquidam deponebat, & lingua humidam sese & sordidam ostendebat.

Si caussas praegressas ante partum, debilitatem scilicet a remediis praepostere adhibitis, & metum, gravidis morbo aliquo detentis, vix non omnibus communem, si partus ipsius labores, binis venae sectionibus praemissis, si postremo victus rationem, atque remediorum purgantium praescriptiones attente consideremus, absque dubio hunc morbum pro febre continua nervosa lenta declarare debemus. Prognosi interim ob morbi ipsius naturam, atque diuturnitatem, valde dubia instituta, sequentem ingressi sumus methodum.

℞. *Decoct. cort. peruviani uncias sex.*
Emuls. arabicae uncias tres.
Haust. narcot. unciam unam.
M.
Capiat omni hora vasculum unum.
Infusum chamomillae calidum pro potu.
Diaeta II. cum ovis.

4. Martii.

Mane. Noctu non dormivit, alvum ter deposuit, febris remissio maior, capitis dolor, & aurium tinnitus aliquantisper imminuti; pulsus idem, sed minus frequens. Erysipelas ad genam dolet magis, ac extenditur.

Repet. medicina.

Diaeta III. cum Frictura.

℞. *Vini malvat. uncias quatuor.*

Capiat pedetentim.

Vespere. Febris non aucta, immo dolor capitis, & aurium tinnitus imminuti.

℞. *Haust. narcot. uncias tres.*

Capiat quatuor vicibus.

5. Martii.

Mane. Eodem modo aegra se habet. Alvum non deposuit.

Repetatur medicina ab initio praescripta, cui adde

Extract. cort. peruv. unciam dimidiam.

Vespere. Evomuit medicinam, quam nimis amaram esse asserit. Alvus clausa.

℞. *Haust. narcot.*

Aq. cinnam. ana uncias duas.

M.

Capiat sex vicibus.

6. Martii.

Mane. Ardores a medicina in stomacho persen-

sensit. Melius se habet, atque semel alvum deposuit. Auditus paulisper rediit.

Repet. medicina heri mane praescripta, cui adde
Syrup. papav. uncias duas.

Diaeta III. cum dimidio pullo.

Repet. vinum malvaticum.

Vespere. Medicinam evomuit; ventriculi pondus accusat. Alvus bis laxata: de capitis dolore & aurium tinnitu conqueritur. Aliqua febris exacerbatio.

℞. *Haust. narcot. uncias tres.*
Capiat sex vicibus.

7. Martii.

Mane. Melius se habet. Appetit.

℞. *Emuls. arab.*
Aqu. cinnam. ana uncias quatuor.
M.

Capiat omni biborio unciam unam.

Diaeta sit eadem, cum Vini albi libra una, & Vini malvat. unc. quatuor.

Vespere. Exacerbatio evidentior. Cutis calor auctus; pulsus magis plenus; capitis dolor, & aurium tinnitus magis urgent.

℞. *Haust. narcotici uncias tres.*
Capiat more solito.

8. Mart.

Mane. Remissio. Dormivit; bis alvum deposuit; caput parum dolet.

Rep. medicina heri mane praescripta, cui adde
Haust. narcot. uncias tres.

Vespere. E lecto surrexit, os bonae notae, appetitus viget, febris exacerbatio nulla.

℞. *Haust. narcot. uncias quatuor.*
Capiat octo vicibus.

9. Mart.

Mane. Melius adhuc; appetitus rediit, alvum deposuit.

Repet. medicina heri mane praescripta, cui adde Extract. cort. peruv. unciam dimidiam.

Continuet in victu, & Vino albo, atque Vino malvatico.

Vespere. Nihil novi: *capiat octo vicibus haustus narcotici uncias quatuor.*

10. Mart.

Cum ordine convalescentia decurrit. Sitim tamen accusat.

Repet., ut heri mane.

Vespere. Parum medicinae assumpsit ob ardorem, & pondus ab illa in ventriculo productum.

Continuet in medicina.

11. Mart.

Mane. Res perbene procedunt.

℞. *Pulv. limatur. martis grana decem.*
— — cort. cinnamom. grana sex.
——— peruv. scrupulum unum.
M.

Dentur tales doses Nro. X. Capiat omni biborio unam.

℞. *Haust. narcot.*
Aq. cinnamom. ana uncias tres. M.
Capiat omni biborio unciam.

Diaeta IV. cum duobus ovis, & Vini albi libra dimidia.

Vespere. Ante meridiem febris accessit, rigo-

gore, tres horas durante, praegresso. — Calor adhuc continuat, respiratio difficilis, brevis; pulsus frequens, aurium tinnitus, cephalalgia, ardor ventriculi.

℞. *Emuls. arab. libram unam.*
Capiat paulatim.

12. Mart.

Mane. Febris remiserat; alvum quater aquosam deposuit, virium prostratio aliqua.

℞. *Emuls. arab. uncias novem.*
Haust. narcot. uncias tres.
M.
Capiat omni biborio uncias duas.
℞. *Vini malvatici uncias sex.*

Vespere. Bis alvum aquosam deposuit; appetitus nullus; exacerbatio vix manifesta.

Repet. medicina.

13. Mart.

Mane. Melius se habet; appetitus redit.
Rep. omnia.
Diaeta IV. cum Frictura.
Vespere. Bene se habet.

℞. *Haust. narcot. uncias quatuor.*
Octo vicibus sumat, & vinum malvaticum.

14. Mart.

Mane. Vix aliqua febris.
Repet.

15.

15. Mart.

Mane. Convalescens fere est.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem*,
Haust. narcot. uncias quatuor.
Syrup. papav. alb. unciam unam.
Capiat omni hora unciam, &
Vini malvat. uncias sex.
Diaeta eadem.

Detracto post aliquos dies haustu narcotico, in decocto chinae, atque in victu lauto continuavimus. Die tandem 21. Mart. foemina sanitati restituta domum petiit.

PERINI *Mediolan.*
M. D.

HISTORIA MORBI V.

Rustica 30. circiter annorum, rite menstruata, initio mensis elapsi a cephalaea, cum tumore & rubore faciei, nec non a febre correpta fuit. Ad nosocomium magnum tunc delata, nescio quibus pharmacis adhibitis, ad reconvalescentiam perducta est. Ast nondum perfecte restituta, domum petere crudeli iussu fuit coacta, ubi pravo cibo nutrita, absque vino & omni medicamine, aegra propriis laboribus incumbit, a quibus valde defatigatur. Duodecim circiter emenso dierum spatio debilitas magis magisque increvit, ad vesperas praesertim; tandem in gravissimum, quo nunc detinetur, morbum ruit. Rigore enim primum per tres dies protracto prehenditur, cui calor succedit, nullo insequente sudore. Febris comites sunt anorexia, summa virium prostratio, cephalalgia, sitis magna. Hoc in rerum statu, adveniente medi-

dico, phlebotomia instituitur, a qua peius se habuit aegra, & morbo sic per octo dies neglecto, tandem die 11. Aprilis ad vesperas Clinicum Institutum adiit. Observavimus ibidem universalem debilitatem, faciem rubram, oculos tristes, pupillam contractam, aurium tinnitus, deliria nulla, summam sitim, oris amaritiem, linguam siccam, dentes nigro colore notatos, aliquam tussim absque excreatu, deerant interim nausea, & vomitus. Cutis erat arida, calor urens, alvus ab octo diebus clausa, pulsus exilissimi, frequentes, sed satis ordinati. Hisce ad trutinam revocatis, morbum pro *febre continua nervosa* declaravimus; & prognosi dubia instituta, sequentia propinavimus.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Aq. cinnamom. uncias duas.
Syrup. cort. aurant.
Haust. narcot. ana unciam unam.
M.
Capiat omni hora unciam unam.
Potus excitans.

℞. *Camph. rasae, mucilagine arabica subactae drachmam unam.*
Infus. chamom. uncias quatuor.
D.
Pro clysmate.
Diaeta I. cum iusculis, & Vini libra una.

12. April.

Mane. Hac nocte inquieta fuit, assumptum vinum semel evomuit; alvus semel mota. Aliquis sopor. Caetera eodem modo se habent.

℞. *Moschi optimi scrupulum unum.*
Aqu. cinnamom. uncias quatuor.
Syrup. papav. alb. unciam unam.
M.

Ca-

Capiat omni dimidia hora unciam dimidiam.

Potus idem.

℞. *Vini malvatici uncias quatuor.*

Capiat paulatim.

Diaeta eadem, cum ovis.

Repetantur hesterni quatuor clysteres: Iniiciatur dosis omni biborio.

Rubefacientia duo ad brachia.

Vespere. Ab assumpto vino ter vomuit; lingua humidior est, alvus semel soluta, aliquo modo melius se habet.

Repetatur medicina, & moschi dosin usque ad drachmam dimidiam auge.

Repet. clysteres.

Diaeta cum Vini libris duabus.

13. April.

Mane. Febris exacerbata est. Bis vomuit. Pulsus in minuto primo 130. exhibuit ictus:

℞. *Mosch. opt. scrup. duos.*

Aqu. cinnamom. uncias sex.

Syrup. cort. aurant. unciam unam.

M:

Capiat omni dimidia ora unciam unam.

Diaeta II. cum Nro 4. sic dictis Zambaioni (*a*).

Potus idem:

Vespere. Aliqua febris remissio, pulsus 110. in minuto primo ictus micat; calor cutis imminutus, lingua humidior. Medicina ardorem in faucibus producit.

Repetantur singula. Medicinae adde aquae fontis uncias duas.

14.

(*a*) Paratur ex ovis, vino malvatico, saccharo, & cortice cinnamomi, sub leni igne.

14. April.

Mane. Soporosa fuit per totam noctem. Febris nunc aucta est; lingua sicca, subnigra. Semel vomuit.

Repetantur omnia.

Duo rubefacientia ad brachia.

℞. *Vini malvat. uncias sex.*

Vespere. Aliqua remissio. Nullus sopor. Repetantur omnia.

Cum hac methodo usque ad diem 14. Aprilis continuatum fuit, quum & morbus eodem modo saeviisset.

15. April.

Mane. Nox insomnis; saepius vomuit, pulsus exiles, summa virium prostratio; febris aucta.

℞. *Moschi optimi grana sexaginta.*
Aq. cinnamom. uncias sex.
— fontis uncias duas.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
M.
Capiat more solito.

Vespere. Res longe melius procedit, febris imminuta est, lingua humida, pulsus quoad frequentiam fere naturales.

Repetatur dimidia medicinae pars.

16. April.

Mane. Bene dormivit, lingua sat pura, etiam dentes depurantur; febris pauca, pulsus elevatiores.

ies. Semel vomuit, interea uno verbo, melius se habet.

℞. *Moschi optim. grana triginta.*
Extract. cort. peruv. drachmas duas:
Aq. cinnamom. uncias sex.
— font. uncias duas.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
Capiat more solito.
Diaeta III. cum Frictura, *& Vini optimi libris duabus.*

Tali methodo, pertractato morbo per sex adhuc dies, & pro opportunitate ad alia stimulantia, uti ad laudanum, vel ad aetherem vitrioli recurrendo, tandem vero solum decoctum corticis praescribendo, & diaetam lautiorem, perfecte convaluit aegra, & ad nosocomium inferius delata, post octo dies laeta domum petiit.

Ioann. Antonius BANOMI
Baudensis.

HISTORIA MORBI VI.

Antonius Sacchi, 40. annos natus, domicilium humidum, prope Ticini ripam inhabitans, aeris vicissitudinibus expositus, victu pravo, prorsus vegetabili, utens, praegressis symptomatibus prodromis, die tertia Februarii a frigore, cui se iunxit calor, ad hanc usque horam perdurans, prehensus est. In auxilium tunc chirurgum advocavit, qui medicinam, a qua alvus pluries soluta, ac debilitas maior facta est, propinavit. In peius quotidie ruente morbo, die 23. Februarii ad Clinicum Institutum delatus est aeger. Aderant summa virium prostratio, cephalaea insignis, surditas, facies collapsa, sitis ingens, lingua sicca, anorexia, aliqua tussis, quae absque sputis absolvebatur.

Stu-

Stupiditas non exigua, calor cutis urens, tendinum subsultus, manuumque tremor, ac pulsus debiles, inaequales. Morbus pro febre continua, acuta nervosa, periculo plena declaratus est.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Extract. cort. eiusdem unciam dimidiam.
Syrup. cort. eiusdem unciam unam.
M.

Capiat omni hora unciam unam.
Vesicantia duo post aures.
Potus excitans.
Diaeta II. cum Vini libra una.

24 Febr.

Mane. Parum noctu quievit: Caetera continuant. Alvus bis mota.

Repetatur medicina sine extracto corticis, cum unciis tribus aquae cinnamomi.

Iniiciatur omni trihorio clyster ex camphora.

Diaeta secunda cum ovis, & vini optimi libris duabus.

Vespere. Alvus semel mota; male quaestionibus respondet, surditas aucta.

Repetatur medicina, cui adde camphorae rasae, mucilagine gummi arabici solutae, drachmam unam.

Habeat Vini malvatici uncias quatuor.

25. Febr.

Mane. Soporosus fuit. Alvus decies mota. Bis vomuit.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Aqu. cinnamom. uncia quatuor.
Laudan. liquid. gutt. quindecim.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
M.

Ca-

Capiat omni ¼ hor. unciam dimidiam.

Diaeta eadem.

Omni trihorio Nro. 1. Zambaione.

Vespere. Alvus sexies mota; omnia in peius ruunt.

℞. *Decoct. cort. peruv.*
Haust. narcot. ana uncias quatuor.
Aether. vitriol. drachmam unam.
M.

Capiat. ut supra.

26. Febr.

Mane. Parum quievit, alvus ter copiose mota.

Repetantur omnia.

Potus excitans.

Vespere. Eodem modo res incedunt. Repetantur omnia.

27. Febr.

Mane. Continuant eadem symptomata, debilitas adhuc maior.

℞. *Emuls. arab. uncias sex.*
Aquae cinnamom. uncias quatuor.
Moschi optimi scrupulum unum.
Ext. cort. peruv. unciam dimidiam.
M.

Capiat nt supra. Continuetur in caeteris.

Vespere. Alvus septies mota. Omnia symptomata aucta. Dolor ad regionem vesicae urinariae insurrexit; lotium inscio aegroto stillat.

Repetantur omnia. Augeatur moschi dosis ad drachmam dimidiam. Applicetur catheter.

28. Febr.

Mane. Non dormivit. Alvus octies inscie mota. Magna urinae copia ope catheteris, licet lotii incontinentia laboraret aeger, educta est. Ter vomuit. Caetera eadem ratione procedunt.

Repetatur medicina.

Iniiciatur enema omni triborio ex laudani scrupulo uno, cum infusi chamomillae unciis sex.

Continuet in caeteris, & in catheteris applicatione.

Vespere. Omnia eodem modo se habent; delirat; alvus non mota. Urinam amittit.

Repetantur omnia. Applicetur catheter.

1. Martii.

Mane. Valde inquietus & delirus per integram noctem fuit. Alvus bis inscie mota. Urinae quoque guttatim fluunt.

Repetantur singula.

Clyster ex camphora more solito.

Vespere deliravit. Ter vomitum passus est. Facies hippocratica.

Repetantur omnia.

2. Martii.

Vomitus ter, & involuntaria alvi excretio, quinquies successerunt. Caetera eodem modo.

℞. *Emuls. arab. uncias novem.*

Mosch. grana sexaginta.

Haust. narcot. unciam unam.

M.

Capiat omni quadrante horae unciam dimidiam.

Continuet in diaeta, & vino. Habeat ter vini malacens. libr. unam.

Vespere. Eodem modo. *Repetantur omnia.*

3. Martii.

Mane. Ad noctem aliquantisper quievit, alvus non mota, vomitus nullus, aspectus longe melior, lingua humidior, aliquod ciborum desiderium.

Repetatur medicina, cui adde extr. cort. peruviani unc. dimidiam; concedatur frictura, & vini optimi libr. ii.

Habeat quoque vini malacensis libr. j.

Vespere. Dormivit aliquo modo. Alvus semel mota. Ad interrogationem bene respondet. Uno verbo, omnia in melius vertuntur.

Repetantur omnia.

4. Martii.

Mane. Optime noctu quievit. Alvus semel mota. Sponte utinam misit. Nulla febris, pulsus tamen debiles.

Repetatur medicina, sed cum moschi dosi dimidia. Repetantur diaeta, aliaque.

Vespere. Nihil novi.

Repetatur medicina. Habeat tantum vini malvatici unc. viij.

5. Martii.

Mane. Quievit bene. Caetera eodem modo. Ad parotidem dextram tumor durus, valde dolens comparuit.

Repetatur medicina.

Illiniatur parotidi linimentum volatile.

Vespere. Aliqua febris. Tumor parotidis multum extensus, & summopere dolens.

Repetantur omnia.

Loco affecto applicetur cataplasma ex mica panis, lacte, & croco confectum.

6. Mar-

6. Martii.

Mane. Parum quievit. Tumor increscit, ac valde dolet; ab eo aliqua respirandi difficultas producitur, & cum aeger aerem per os trahere cogatur, hoc cavum siccitatem ostendit. Adest quoque deglutiendi impedimentum.

R. Decoct. chinae uncias novem.
Extract. eiusdem unciam dimidiam.
Syrup. papav. unciam unam.
M.
Capiat omni biborio unciam unam.
Continuet in caeteris.

Vespere. Anxietas summa, tumor auctus, erysipelas oedematodes totam genam dextram occupat, atque ad oculum usque pertingit. Aliquod delirium observatur.

Repetatur medicina, cui adde camph. mucilag. gummi arabico subact. drachmam.

Loco affecto applic. sacculi ex fl. sambuc., salviae, & camphora confecti.

7. Martii.

Mane. Melius se habet. Erysipelas imminutum. Tumor quoque minus extensus, & dolens.

Repetantur omnia.

Eodem modo aegrotus per aliquot dies se habuit, deinde vero fluctuatio in tumore in conspectum venit. Tam respirandi, quam deglutiendi difficultas tunc disparuerunt, atque aegrotus absque febre perbene se habuit. Hac de caussa eundem die 12. mensis istius ad cubile chirurgicum deportari iussimus, ubi per decem dies, sponte rupto abscessu, mansit, ac dein perfecte sanatus ad suos rediit.

Petrus VIGO
M. D.

HISTORIA MORBI VII.

Caementarius, iuvenis robustus, bene nutritus, vino aliquando deditus, postquam nimiis laboribus sub ardente sole corpus exercitasset, praegressa anorexia, ac capitis dolore, die 13. Maii a frigore prehensus fuit, cui calor, ac deinde aliquis sudor successerunt. Interim ad hodiernam usque diem semper febris succrescit. Initio morbi mox venae sectio ad libram unam, cum summo aegrotantis detrimento, instituta est. Nulla caeterum domi, praeter rigorosam a victu abstinentiam, sumpta medicina. Die 23. eiusdem mensis ad nos delatus est. Facies erat tristis, vox flebilis, maxima debilitas, atque caput valde dolebat. Aeger quoque oris amaritiem, sitim, pectoris oppressionem, insomnium accusabat. Pulsus erant vibrantes, oculi rubentes, cutis calida, sed madida quoque, ac alvus iam a pluribus diebus clausa. Hisce omnibus consideratis, morbum pro febre continua nervosa, ab excessu potentiarum stimulantium producta, declaravimus, ac prognosi dubia instituta, sequentia praescripsimus.

℞. *Decoct. cort. peruv. libram unam.*
Aq. cinnamom. uncias duas.
Laudan. liquid. guttas triginta.
Syrup. papav. alb. unciam unam.
M.

Capiat omni dimidia hora unciam dimidiam.
Potus excitans.
Diaeta 2. cum vini optimi libris duabus.

Vespere. Aliqua, sed parva remissio. Aliquantisper in somnum inclinat.

Repet. omnia: nempe decoctum corticis ad libram unam, & aqu. cinnamomi ad uncias quatuor.

24.

24.

Mane. Tanta adest morbi remissio, ut in pulsu nulla inveniantur febris vestigia.

℞. *Decoct. chinae uncias novem.*
Aq. cinnamom. uncias duas.
Extr. cort. peruv. unciam dimidiam.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
M.
Capiat more solito.
Eadem diaeta. Idèm potus.

Vespere. Nihil novi. Alvus clausa semper. *Repetantur omnia.*

25.

Mane. Vix febris, omnia in melius vertuntur.

Vespere. Aegrotus perfecte apyreticus; de dolore capitis, ac de oris amaritie tantum conqueritur:

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Haust. nareot. uncias duas.
M.
Capiat more solito.

26.

Mane. Cephalaea, ac oris amarities evanuerunt. Alvus aperta. Nulla febris. Appetit.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Syrup. papav. unciam unam.
M.
Capiat omni biborio unciam unam.
Diaeta IV.

27.

27.

Mane. Aegrotus, nullum salutis incommodum accusans, ad convalescentes mandatus est.

Carolus COCHETTI
Brixianus M. D.

En, lector benevole, praecipuas febrium nervosarum in sanitatem conversarum historias! Ipsis permulta alia, memoratu dignissima, addere potuissem; si limites huius operis id permisissent. Accipe nunc pari ingenuitate aegrotorum mortuorum descriptiones praecipuas.

HISTORIA MORBI VIII.

Quadragenarius vir Ticinensis, horti cultor, sat robustus, ac pro conditione bene nutritus, in victu, potuque, & venere sobrius, laboribus nimiis nequaquam indulgens, nec excitantibus nimis, nec deprimentibus animi pathematibus subiectus, altius domicilium inhabitans, si peripneumoniam feliciter superatam excipias, semper sanus vixit. Ante quinque dies, nulla manifesta caussa, nullo signo prodromo praegressis, dolore obtuso ad humerum dextrum subito corripitur, absque tusse, & sine ulla respirandi difficultate. Huic brevi post adsociantur frigus ingens, & vomitus materiei biliosae; nullum interim adest ad hepatis regionem morbosum phaenomenon. Frigori per quatuor horas duranti, calor magnus succedit, qui ad hunc usque diem, mane absque praevio sudore remittens, & ad vesperas quotidie exacerbatus perdurat, cum siti & lassitudine magna. Humeri dolor iam secunda morbi die disparet; tertia vero tussis aliqua insurgit, cum singultu frequente & molesto. Praeter haec; nulla alia morbosa phaenomena.

na. Aeger iam a prima morbi die domi lectum petierat: nullam ibidem medelam instituit: rigorosiorem diaetam, & summam animi corporisque quietem servavit absque levamine. Heri vespere in Clinicum defertur, & haec mihi adnotanda offerebat. Singultus continuabat valde molestus: tussis hinc inde apparebat cum excreatu sanguinolento. Nullus interim aderat pectoris, aut humeri dolor, nullus ponderis sensus ad sternum, nulla respirandi, aut in latus decumbendi difficultas; nulla in hepatis regione, vel sub ipsa compressione, sensatio molesta. Vomituritiones nullae, nulli ructus, aut ventriculi oppressio: anorexia aliqua, alvus ordinate movebatur; lingua erat sicca, os amarum (quod symptoma assumto cibo, me praesente, disparuit). Aliquis aderat capitis dolor: aurium susurrus nulli. Lecto insidens, obnubilationes hinc inde patiebatur; cutis erat sicca, calor urens, pulsus valde frequentes, ita ut intra minutum primum centum & triginta pulsationes numerarentur, & licet plenitudinem ostenderent, valde erant inaequales, debilitas magna.

Hisce omnibus rite perpensis, cum morbus absque manifesta caussa venerit, cum animi corporisque quies, & rigorosior diaeta aegro non conduxerint, cum praesens constitutio morbis nervosis faveat, nec symptomata praesentia contrarium doceant, immo plura adsint, quae hoc testentur, morbum pro febre nervosa habuimus. An vero hepatis, pulmonisve affectio caussa sit, ulterius examen docebit. Interim prognosin valde dubiam pronunciantes, ut praesentibus indicationibus satisfaceremus, praescripsimus heri vespere.

℞. *Emuls. arab. uncias decem.*
Camph. rasae drachmam unam.
Haust. narcot. uncias duas.
M.

Capiat omni biborio vasculum dimidium.

Potus excitans.

Cum nihil appeteret, Diaeta I. cum Vini unc. VIII.

22. April.

Totâ nocte soporosus fuit. Singultus disparuit; pulsus, minus inconstantes, eandem frequentiam servant. Ast anxietas est maior, tussis frequentior, & excreatus minus facilis, magisque crudus. Diarrhoea accessit absque aegroti levamine, immo eiusdem vires magis sternens; sudor aliquis. Praescripsimus

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Aether. vitriol. drachmam unam.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
M.

Capiat omni biborio cochlearia duo.

Potus excitans pro potu.

Diaeta eadem cum Frictura.

Vespere. Omnia symptomata increscunt, & iterum singultus supervenit. Repetiimus medicinam heri vespere praescriptam.

23.

Mane. Singultus continuat, sopor & stertor adest; pulsus frequentissimi: tendines hinc inde subsiliunt; tussis frequentior, & siccior. Summa respirationis anxietas; mussitat, floccos carpit; genarum rubor, maxilla inferior collapsa est; oculus admodum tristis.

Repetiimus omnia.

Ves-

Vespere. Res magis magisque in peius ruit. Pulsationes arteriarum vix numerari queunt. Tendinum subsultus frequentissimi. Anxietas summa, stertor, subdelirium. Continuavimus in omnibus; ast incassum, nam hora decima exspiravit.

Cadaver iam altera die ita foetebat, ut ipsius cl. Praeceptoris SCARPA consilio, sectionem instituere non potuerimus.

ALIMONTA
M. D.

HISTORIA IX.

Agricola, sexagesimum quartum aetatis suae annum agens, laboribus exhaustus, male nutritus, & a prima sua iuventute maximam hiemis partem in stabulis transigere assuetus, ab sexdecim inde annis, quin ullo unquam antea pectoris morbo laborasset, quavis hieme tussi fuit obnoxius, quae vere adventante sponte disparebat, ut hoc anno eadem affligeretur. Decem ante dies, postquam frigori diutius sese exposuisset, tussis frequentior siccaque rediit, cui protinus adsociatur febris, cum levi ad sinistrum thoracis latus dolore, sub profunda inspiratione exacerbato, & aliqua spirandi difficultate. Febris aliaque symptomata per quinque dies absque remissione continuabant: tunc medicus accersitus infusum sambuci cum oxymelle aegroto consuluit. Hoc utitur aeger, sed absque levamine. Re igitur in peius ruente, heri vespere nosocomium petiit, ubi praescribuntur venae sectio ad unc. ix., decoctum antiphlogisticum, vesicans loco dolenti, & diaeta prima. Sub hac methodo dolor disparuit, febrisque, referente aegroto, valde remisit: hoc in statu 11. m. d. ad Clinicum Institutum hoc mane de-

defertur, & haec mihi obtulit observanda: tussis erat frequens, excreatus paucus, viscidissima in pulmonibus materies, quasi stertoris sensum sub tussi excitabat, aliqua aderat spirandi difficultas, at non tanta; dolor nullus, decubitus in utroque latere facilis; pulsus valde debiles, sed quoad frequentiam naturales: calor parum naturali maior, facies valde collapsa, sub trunci erectione obnubilationes aliquae: lingua nigrescens & sicca; nullus aurium susurrus, gastrica symptomata nulla, alvus ordinate reserata: virium prostratio summa.

His perspectis, morbum pro catarrhali habuimus, cuius naturam, cum aegroti aetas & praesens corporis conditio, eiusdem vitae genus, diuturna in stabulis inhabitatio, longa frigoris actio, quae ante morbum locum habuit, symptomata praesentia, & annua constitutio id docerent, nervosam declaravimus; & ob easdem rationes prognosim prorsus infaustam facientes, hoc mane praescripsimus:

℞. *Emuls. arab. uncias septem.*
Kermetis min. grana tria.
Cap. omni 2. h. vas. dimid.
Diaeta III.

Vespere.

Respiratio facilior: tussis minus frequens, excreatus mucosus, minus difficilis: stertoris sensus fere nullus; pulsus magis frequentes, magisque elevati: calor maior: alvum semel deposuit. *Repetiimus medicinam.*

Mane. 12. m. d.

Hac nocte quievit; nunc remissio manifesta, pul-

pulsus parum naturali frequentior, calor fere naturalis: dyspnoea adhuc aliqua: tussis minus frequens, excreatus facilior: stertor nullus: magna virium prostratio.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Extract. cort. eiusd. unciam unam.
Aq. cinnamomi.
Syrup. papav. albi ana unciam unam.
Cap. om. 2. h. vasc. dimid.
Diaet. III. cum Vini libra una & dimidia.

Vespere.

Exacerbatio aliqua: pulsus frequentiores & pleniores: calor urens: tussis eadem, excreatus minor: respiratio difficilior, virium status idem. *Continuavimus.*

Mane. 13. m. d.

Hac nocte quievit, pulsus minus frequentes minusque pleni, calor minor, tussis rara: excreatus nullus, respiratio facilior. *Continuavimus in praescriptis.*

Vespere.

Hodie fuit soporosus: adsunt tendinum subsultus, tremores: pulsus sunt parvi; respiratio ut mane, tussis rara, excreatus nullus, bis alvum deposuit. *Repetiimus medicinam, & iussimus applicari vesicans ut rubefaciens, ibi, ubi aderat dolor.*

Mane. 14. m. d.

Hac nocte quievit: sudavit tantisper ad caput sub-

subsultus tendinum pauciores: caetera eodem modo: *Medicinam repetiimus.*

Vespere.

Minus fuit soporosus, quam heri; tremores nulli: subsiliunt subinde tendines, pulsus aliquantisper magis elevati: caetera eadem. *Continuavimus in praescriptis.*

Mane. 15. m. d.

Hac nocte quievit: sudavit ad caput magis, quam nocte elapsa: tendinum subsultus nulli: caeterum nil novi. *Repetiimus medicinam.*

Vespere.

Hodie non fuit tam soporosus: respiratio difficilior: tussis rara, & sicca: pulsus frequentiores, pleniores: calor auctus: alvum semel deposuit. *Medicinam repetiimus, omittendo aquam cinnamomi:*

Mane. 16. m. d.

Quievit: pulsus minus pleni, & minus frequentes, calor minor: caetera ut heri; *continuavimus in praescriptis.*

Vespere.

Sopor maior: respiratio magis anxia, tendinum subsultus crebriores, pulsus frequentiores, sed parvi; calor maior. *Medicinam repetiimus & praeterea vesicans ut rubefaciens pectori adhibuimus.*

Ma-

Mane. 17. m. d.

Remissio aliqua; ast pulsus debiliores sunt, tremoresque hinc inde comparent; caetera eadem. *Repetiimus omnia.*

Vespere.

Sopor increvit; respiratio magis anxia, tremores crebriores, pulsus valde frequentes & parvi, calor paucus. *Medicinam repetiimus, addidimusque camph. mucil. arab. s. drachmam unam.*

Mane.

Sopor continuat: facies est magis collapsa, pulsus frequentissimi, filiformes; respiratio valde anxia; *repetiimus medicinam, augendo camphorae dosin ad drachmas duas.*

Vespere.

Sopor maior: facies valde collapsa, oculi turbidi, & dexter sinistro minor, creberrimae musculorum faciei convulsiones, tremores, extremitates frigent, pulsus exilissimi. Praescripsimus:

℞. *Rad. serpent. virg. drachmas duas.*
Infund. in decoct. cort. peruv. ferv. s. q.
Colaturae unciarum novem adde.
Extracti cort. eiusdem drachmam unam & dimidiam.
Camph. mucil. arab. s. drachmam dimidiam.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.
Cap. om. hora vasc. dimidium.

℞. *Alcali volat. drachmam unam.*
Apponatur naribus frequenter & subinde guttula linguae instilletur.

Ve-

Vesicantia duo ut rubefacientia retro aures: iuscula duo cum ovis & vini optimi libra una.

Ast omnia incassum, nam versus horam primam post mediam noctem exspiravit.

Cadaveris sectio.

Aperto thorace pulmones utrosque flaccidos invenimus, caeterum nulla inflammatione affectos; bronchia examinata nil morbosi praesetulerunt. Aperto abdomine omnia sana apparuerunt.

Franciscus ALIMONTA
Tyrolensis Iudicariensis.

HISTORIA X.

Antonius Salamoni, Ticinensis, ill. Marchionis, Iuris celeb. Professoris, *de Belcredio*, domesticus, 33. annos natus, sat firmo corporis habitu instructus, pluries symptomata hepatitidis iam passus est. Tribus abhinc mensibus levi pleuritide laboravit, a qua, methodo antiphlogistica adhibita, sanatus fuit. Ab illo tempore tamen nunquam prospera valetudine gavisus est, ac morosus & debilis factus, quavis fere die novum accusabat incommodum. Die 29. mensis Martii, a frigore cum calore alternante corripitur. Paulo post calor urens subintrat, ac dolor ad hypochondrium dextrum, cum vomitu materiae herbaceae, ac tussi sicca, accedit. Per diem domi sic mansit, ac morbi secunda tantum die Clinicum Institutum petiit. Facies erat tristis, oculi prominentes, audaces, aliquomodo flaventes, Aurium tinnitus, vehemens cephalaea, & sitis inexplebilis, dolor ad scapulam dextram aderant. Valde quoque dolebat regio tota hepatis, uti & illa, quae circa umbili-

li-

licum est, neque tamen aliquis tumor, aut durities quaedam, conspiciebatur. Vomitus hinc inde herbaceus, continuis nauseis praecedentibus, urgebat. Ne quid mali deesset, aeger a molesta tussi concitabatur. Summam interim debilitatem accusabat, immo a corporis erectione, vel a minimo motu, lipothymiam timebat miser. Universa cutis flavo colore notata. Pulsus potius cum frequentia micabant, erant interim pleni, sed molles, atque inconstantes. Difficile certe erat, rebus ita se habentibus, firmam pronunciare diagnosin. Febris tamen natura minime latere nobis videbatur, quum praedispositionis ratio, aeque ac symptomata morbi, eius indolem *nervosam* indicarent. An vero pulmonis lobus inferior, vel potius hepar inflammatione infestarentur, hoc non facile nobis videbatur posse stabiliri. Habita tamen ratione scapulae ac hypochondrii dextri doloris, atque vomitus, cutis flavi coloris, aliorumque symptomatum, de hepatitide cum febre nervosa incedente suspicati sumus, & prognosi magnopere dubia instituta, sequentem methodum arripuimus.

Vespere 31. Martii.

℞. *Emuls. arab. uncias septem.*
Moschi opt. scrupulum unum.
M. cap. omni hora unciam.
℞. *Emuls. amygdal. libras tres.*
Sacch. alb. unciam unam.
M. Detur pro potu.
Vesicans ad regionem hepatis.
℞. *Olei olivar. uncias tres.*

Detur pro enemate.

Illiniatur abdomen cum linimento volatili, dein super-

perimponantur somenta emollientia. D. II. cum iusculis, & ovis duobus.

Mane 1. Aprilis. Nox inquieta, continuant symptomata. Pulsus pleniores ac duri.

℞. *Emuls. arab. libram unam.*

Capiat paulatim.

Iniiciantur ano bis in die unciae sex olei olivar. Appl. Nro. 12. hirudines perinaeo.

Diaeta eadem, absque ovis.

Vespere. Novem circiter sanguinis uncias ab hirudinibus applicatis amisit. Dolores abdominis vero auctos, pulsus debiliores longe, invenimus. Aderat quoque summa anxietas. Cutis flavedo & vomitus augebantur. Alvus semel mota.

Continuet. in emulsion. arab.

Mane 2. — Nox insomnis. Dolor tum ad scapulam, tum ad hepatis regionem auctus. Bis vomitum passus est. Debilitas summa, aurium tinnitus urgebant, ac sub corporis in lectulo erectione, lipothymia instabat.

Repetatur medicina ex emuls. & moscho prima die praescripta.

Illiniatur bis in die hepatis regioni unguent. mercurial. drachma dimidia. Limonada tenuis pro potu.

Habeat vin. malacens. uncias sex; parentur cum isto & cum ovis ac sacch. Nro. 2. Zambaioni.

Vespere. Aliquo modo melius se habuit aeger. Alvum bis deposuit. Vomitum minime passus est.

Repetatur medicina.

Mane 3. Nox irrequieta. Bis amara evomuit. Caetera eodem modo se habent.

Continuet in omnibus.

Vespere. Omnia eodem modo continuant; assumpsit, & retinuit cibum illum ex vino malvatico, ac ovis parato. Porrectae fuere cochleatim in tota die unciae tres vini eiusdem.

Re-

Repetantur omnia.

Mane 4. Aliquomodo dormivit. Alvus clausa adhuc. Semel evomuit. Caetera symptomata continuant.

Repetantur singula. Iniiciantur clysteres Nro. 3. *ex oleo olivarum.*

Vespere. Vomitus saepe se prodit.. Alvus bis soluta. Anxietas magna, dolor capitis vehemens aderant.

Repetantur singula.

℞. *Haust. narcot. uncias duas,*

Cap. sex vicibus. Illiniat abdomen totum cum linimento volatili. ~~Imponatur~~ denique fomentum emolliens.

Mane. Vomitus conticuit. Caetera symptomata eodem modo se habent. Nunc ill. Professorem RAGGI in consilium vocavi, qui diagnosin & methodum adhibitam suo quoque iudicio comprobavit. *Continuavimus hinc in omnibus, linimento mercuriali ter in die inungebatur.*

Vespere. Nihil novi. Vomitum ter passus est. Flavedo cutis aucta. Oculi valde prominentes, anxietas summa, nec non virium prostratio magna, aegrotum cruciabant.

Repetantur singula.

Mane 6. Inquietus per totam noctem somnum minime capere potuit. Vomitus effraenis, singultus, pulsuum status, aspectus demum aegrotantis, summum vitae periculum annuntiabant.

℞. *Emuls. arab. uncias novem.*

Mosch. opt. drachmam dimidiam.

Cap. eodem modo.

Continuet in reliquis.

Vespere. Omnia in peius ruebant. Erecto corpore, ob summam anxietatem, in lectulo sedebat, cum extremitatibus frigidis, ac singultu. Nunquam deliravit. Hora 7. vespertina mortuus est.

Ca-

Cadaveris sectio.

Totius cadaveris superficiem, maculis sat largis, lividis ac nigris notatam invenimus. Scrotum gangraenae initium ostendebat. Capilli minima adhibita vi cadebant a capite, a pube &c.

Aperto abdomine, stomachus & intestina nihil morbosi monstrabant. In ventriculi cavo non nisi medicinae dosin, aqua mixtam, invenimus. Idem de intestinis aere distentis dicas. Hepar permagnum ac flaccidum. Nulla tamen inflammationis huius visceris indicia conspicere licuit. Caetera in abdominis cavo viscera modo naturali se habebant.

Aperto pectore, pulmones cum pleura concretos, flaccidos tamen, ac lympha coagulabili aliquomodo coopertos vidimus. Substantia vero pulmonis minime inflammata fuit. Caetera, quae in hoc cavo detinentur viscera, indiciis morbosis carebant.

Venant. RIGAMONTI
M. D.

Attente considerata morbi istius historia, & cadaveris sectione, patet, nos minime circa febris indolem errasse. Symptomata vero, quae hepatis inflammationem indicare videbantur, nos in errorem duxisse, certum quidem est; qui tamen error a summis haud raro viris, ut notum est, commissus fuit. Quum vero ob hepatitidem nunquam venae sectionem instituerim, sed methodum contrariam in usum vocaverim, patet, remedia propinata non solum nullum procreasse damnum; sed potius morbo, qui quidem febris nervosa fuit, imprimis accommodata fuisse. Minime itaque me poenitet, moschum, mercuriale unguentum, ac vi-

vinum propinasse; solummodo hirudines, atque tot clysteres a me praescriptos fuisse, dolebam. Postremum, cadaveris aspectus de violento contagio, seu de alia quadam re, eodem modo agente, suspicionem movit.

Finis primae Partis.

IN-

INDEX
PARTIS PRIMAE.



J A N U A R I U S.

	Cœlum.	*Pluvia, nix &c.*	*Ventus.*	*Barom. status.*	*Thermom. status.*	*Hygrom. status.*
I.	Ut plurimum seren., hinc inde parum nubilosum, aliqua nebula, attamen parum durans.	Nulla nix, neque pluvia.	Nullus.	A poll. 28. ita ascendit, ut die 4 ad poll. 28. lin. 7. $\frac{3}{4}$ sit. Die 7. est ad p. 28. circiter, sed vespere redit ad p. 28. lin. 3. postea oscillat circa 28. p. l. 2. & 27. p. l. 10.	Quasi semper sub o., & constanter a die 2. usque ad 8. Nocte 3. 4. 5. maximum gel. 8. 10. 11. grad. sub o. Die 6. ita ascendit, ut diebus 9. & 10. habeantur in die grad. 1. 2. super o. Noctu 1. 2. 3. sub o., & nihil amplius.	Primis diebus siccum, postea humidum.
II.	Usque ad 14. serenum.	Die 15. nix continua, 16. fere cont. & 17. aequal. modo, sed hac ipsa die seren. redit: reliquis 4. diebus modo ser., modo neb. & modo alta nebula cum aliqua nive: die 19. nix copiosior.	Diebus 11. & 12. levis ventus a Ponent. & mane 13. vehemens ventus ab Orient.	A poll. 28. descendit ad p. 27. lin. 8. circiter.	Per singulos dies & quavis hora sub o.: & saepe 4. 5. 6. grad. sub o. circa dimidiam noctem.	Potius siccum.
III.	Frequentius coopertum, & nebulae frequentiores, nunc altae, nunc infimae.	Die 23. pauca nix congelata & bruma a 10. antemerid. usque ad vesper. Die 24. nix copiosa, remittit post merid. Die 27. aliquantisper nivis; dies sequentes ut plurimum nebul.	Die 24. ventus aliquis.	A p. 27. l. 8. circiter descendit die 24. ad p. 27. l. 4. die 26. ascendit ad p. 28. lin. 2. denuo die 29. descendit ad p. 27. l. 8. $\frac{1}{2}$, & a die 30. ad 31. ascendit usque ad p. 28. lin. 4.	Semper sub o. & diebus 25. 26. grad. 5. 6. sub o. Solummodo die 28. nonnullae horae gelu Die 31. gel. crescit, & thermom. descendit 7. & 8. circiter grad. sub. o.	Inter humidum & siccum. Diebus 24. 25. siccum: sequentibus humidum, humidius, humidissimum.

F E B R U A R I U S.

	Cœlum.	*Pluvia, nix &c.*	*Ventus.*	*Barom. status.*	*Thermom. status.*	*Hygrom. status.*
I.	Primis 3. diebus semicoopertum. Die 6. 7. tantisper nebulos. 8. 9. inter seren. & neb. 10. coopertum : reliquis diebus tranquillum.	Die 4. nix sat copiosa per 4. horas ; 7ma mane levis pluvia semigel. gel. solvi incipit; a vesp. usque ad mediam noctem nix copiosa : gel. solvitur. Die 10. bruma & levis pluvia.	Nullus.	A pol. 28. l. 2. sensim descendit ad p. 27. l. 8. die 3. vesp. descendit ad p. 27. l. 11. est vesper. die 4. & ad p. 28. 1½ mane 5. & 28. 2 ½ vespere : diebus sequentibus descendit usque ad p. 27. 10. ½ die 8. 9. 10. ascendit ad pol. 28. l. 2. circiter.	Usque ad diem 5. summum frigus cum sit in die semper 4. grad. sub o. & dimidia nocte 5. 6. Die 6ta est in o. circiter : 7. in + 1. grad. etiam noctu & gel. solvitur : sic res fere se habet diebus 8. 9. 10.	Semper ad humid., humidius, & humidissimum.
II.	Raro seren. Omnino seren. diebus 16. 17. Plerumque tranquillum. Reliquis diebus modo nubes, modo nebula.	Hac periodo modo bruma, modo non magna pluvia: die 18. minuta & spissa nix. Vesper. 19. rursus nix : 20. bruma, pluvia insimul & nix, & gelu solvitur.	Die 17. vehementissimus ventus ab Oriente.	Usque ad totum 14. semper sub p. 18. inter 27. 10. & 27. 8. Vespere die 15. ascendit ad p. 28. 4. & die 16. augetur usque ad p. 28. 6. ½. sequentibus inde diebus celeriter descendit.	1. 2. 3. 4. grad. supra o. etiam nocte, si excipias illam diei 17. ad 18. qua iterum gelat.	Ut supra.
III.	Usque ad 23. varium & turbatum : 24. coopertum, a meridie seren. 26. 27. coopertum & 27.	Mane 23. pluvia cum nive & maxima gel. solutione ; inde bruma : nocte 24. pluvia ; 25. nebula ; 26. levis pluvia cum interceptis nivis particulis usque ad summam noctem : 28. bruma & levis pluvia.	Nullus.	A die 23. ad totum 26. descendit ap. 27. l. 11. circiter ad p. 24. 5. inde paullatim die 28. elevatur ad p. 27. l. 7.	Nocte diei 24. ad 25. gel. reliquis noctibus 20. In die er. t 1. usque ad 4. grad. super. o.	Idem.



MARTIUS.

	Cœlum.	*Pluvia, nix &c.*	*Ventus.*	*Barom. status.*	*Thermom. status.*	*Hygrom. status.*
I.	Utplurimum seren. & excepta die 6. Raro alta nebula.	Solummodo die 6ta lenissima pluvia.	Die 8. non exiguus ventus ab Occid.	A. p. 27. l. 7.½ circiter ascendit usque ad 28. 2. die 4. diebus 5. 6. 7. descendit usque ad 27. 10. circiter: diebus 8. 9. tantisper extollitur usque ad 28. & oscillat 1. aut 2. lin. sub.	Die 3. 4. 5. grad., noctu 1. 2. Mane 4. ad 5. gel. quod non perdurat. Die 6. maius frigus, ac in præcedentibus, idest 3. grad. sub o. etiam post meridiem.	Mediocre humidum; tempus siccius absque abundanti nivis solutione. Die 10. Martii circiter nulla aderat nix.
II.	11. 12. nunc seren. nunc tectum nebul. alta: 20. seren. sed cum aliquibus nebul., nec non alta neb.	Toto die 13. bruma & exilis pluvia: toto 14. bruma, inde seren. 15. post ventum copiosa pluv. usque ad dimid. noct. Toto 16. bruma & levis pluv. 17. fortior summo mane, postea bruma; 18. idem.	Die 15. fortis ventus spirans ab Orient. 17. ad vesper. ventus (sciroc.) 19. ventus.	Usque ad diem 15. parum variat a p. 27. l. 7. ad p. 27. 9. 31. oscillans diebus 16. 17. oscillat circa p. 27. 10. vesper. 17. descendit ad 27. 4. ¼ 18. 19. 20. ascendit semper usque ad p. 28. l. 4. circiter.	In die 5. 6. 7. grad. noctu 3. 4. nocte 17. qua fuit ventus, 8. gr.	Humidum, præsertim post diem 12. 14. aer calid. & humid. die 19. siccum per aliquot horas.
II.	Summopere variat, modo seren., modo nebul.	Leves pluviae. Die 30. turbo ab occid. cum tonitru, & aliqua exili grandine; inde pluvia: 31. novum turbinem minatur meridie: ad vesper. levis interrupt. pluvia.	Levis ventus.	A die 21. ad 23. a poll. 28. l. 4. descendit ad p. 27. l. 11. inde ascendit, & descendit usque ad diem inter 28. & 27. circiter.	Primis diebus 6. in 7. grad. in die, 5. circiter ad dimidiam noctem; deinde 8. in c. in die, 6. in 8. circa mediam noctem: matutinis horis frigus.	Diebus 21. & 22. inter humid. & siccum; sequentibus diebus humidius: vesper. 30. humidissimum post turbinem: 31. inter humid. & siccum.

De Constitutione Atmospherae, quae fuit Ticini a Cal. Decemb. anni 1794. ad Junium integrum (*) an. 1795. Observationes baromet., thermom., & hygrom.

DECEMBER.

	Cœlum.	*Pluvia, nix &c.*	*Ventus.*	*Barom. status.*	*Thermom. status.* (De Reaum.)	*Hygrom. status.*
I. Decem circa dies quodvis spatium complectitur.	Nunc nub. nunc seren. caeterum tranquillum.	Pluviae fere nihil.	Nullus.	Primis 6. diebus semper supra 28. pol. & usque ad 28. p. l. 4. caeteris 4. diebus inter 28. & 27. p. l. 10.	A 4. ad 6. gradus supra 0. Una aut solis duabus vicibus ad gr. 2.	Variat inter humidum, humidius, & humidissimum.
II.	Utplurimum serenum.	Neque pluvia unquam, nec nebula.	Nullus.	Semper super poll. 28., nempe a 28. l. p. 1. ad 28. p. lin. 4.	Primis 4. diebus inter 4. & 8. gradus. Postea descendit ad 2. 1. 0, 1. 2. 3. 4. grad. sub congel.	Quasi semper nunc plus, nunc minus ad siccum, nunquam ad humidum magnum.
II.	Usque ad diem 24. modo serenum, modo densa neb. coopertum: 27. ser. redit, reliquis diebus nunc ser. nunc neb.	Die 24. bruma, nix copiosa mane, bruma per reliquum diem. Nix ad vesp. ita 25. quae abit levi cum pluvia. Reliquis diebus nebulae leves.	Post diem 27. saepe levis ventus ab occid. & semper gelidus.	Die 21. & 22. supra poll. 28. Postea incipit descendere per omnes dies usque ad p. 27. l. 5. Die 25. paullatim redit ad poll. 28. circiter, quo statu manet die 29. 30. 31.	Fere semper sub 0., 1. 2. 3. grad.	Usque ad diem 28. inter humidum, & humidius: reliquis tribus versus *siccum*.

(*) Quatuor tantummodo tabulas, caeteris per belli injurias amissis, adducere mihi licet.

JOSEPHI FRANK

RATIO MEDENDI

PARS II.

RATIO
INSTITUTI CLINICI
TICINENSIS

A MENSE JANUARIO USQUE AD FINEM JUNII ANNI MDCCXCV.

QUAM REDDIT

JOSEPHUS FRANK M. D.

Antehac Medicinae practicae atque Clinices in Academia Ticinensi Professor extraordinarius; nunc Nosocomii Civici Vindobonensis Medicus Primarius.

PRAEFATUS EST

JOANNES PETRUS FRANK.

Editio prima Italica

Animadversionibus locupletata

CURANTE

VALERIANO ALOYSIO BRERA M. D.

In Archigymn. Ticinensi Therapiae specialis, & Clinices Professore extraordinario, Legionis Nationalis Ticinens. Chirurgo Supremo, Academ. Vindobonen., Berolinensis, Goettingensium, Ienensis, Bruxellensis, Mantuanae, Florentinae &c. Sodali.

PARS SECUNDA.

VENETIIS, 1799.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

CAPUT IV.

Peripneumoniae nervosae, seu malignae.

AD morbum periculi plenum exponendum progredior. Eius amplam descriptionem apud SCHENKIUM (*a*), BALLONIUM (*b*), ELLERUM (*c*), SAUVAGESIUM (*d*), HUXHAMUM (*e*), SARCONEM (*f*) & in patris opere (*g*) habemus. Morbum hunc, nempe peripneumoniam nervosam, seu malignam auctorum, quae pestis adinstar non raro integras provincias devastavit, hoc anno adeo frequentem a nobis iterum saepiusque visum, pro febre nervosa habeo; cui symptomata pulmonis inflammati accesserunt. Quae sententia facile sese probat considerantibus, utrumque morbum ab iisdem & caussis generari, & auxiliis auferri. Peripneumonia maligna tamen, cum pars ad vitam tantopere necessaria, pulmo scilicet, quam maxime affecta sit, periculum ex febre simplici nervosa in mortales redundandas, longe superat. SCHENKIUS refert, anno 1348, pe-

(*a*) Obs. L. vi. p. 855. ---- Schol. ad observat. 46.
(*b*) Opp. omnia (Epidemica) T. I. p. 15.
(*c*) Observationes.
(*d*) Nosolog. method. Cl. III. o. 3. g. XXII. sp. 6.
(*e*) De febribus & de pleuritide.
(*f*) Von der Epidemie zu Neapel.
(*g*) Epit. T. II. p. 141.

peripneumoniam malignam tam insigniter grassatam esse, ut vix decima pars hominum superstes manserit. Sed duos lethalitatis eius fontes admittendos esse persuasum habeo; quarum unus a morbi ipsius indole pestilentiali, alter a methodo medendi perversa propullulat. Practici enim quamplurimi, indicationem e symptomatibus capientes, ob praesentiam doloris punctorii, respirationis difficilis, tum vero ob tussim ac excreatum sanguine notatum, ad venaesectiones, ad alvum purgantia, atque reliqua debilitantia confugiunt, quibus exigua virium vitalium portio reliqua ex toto deiicitur, atque extinguitur. BALLONIUS, ubi de peripneumonia maligna loquitur, ita se exprimit: „ in doloribus huiusmodi venae „ sectio non profuit, ac quaerebant, num aliud „ esset remedium, praeter istud solenne, quod „ primum ducitur in pleuritide? nam innumeri „ fato eripiebantur, quibus secta foret vena „. Idem de anno 1573. haec refert: „ Exacta hyeme, mense martio omnes paene pleuritides funestae, nullis cedebant remediis ". ELLERUS quoque, hanc aegritudinem universae artis auxilia spernere, fatetur. Sunt quidem praeclari nominis practici, qui hanc peripneumoniae speciem ab altera, phlogistica nempe, rectissime distinxerunt. Celeb. BAGLIVIUS in pleuritide maligna sananda adeo felix fuit, methodo, quae antiphlogisticae prorsus contraria erat, ut *camphorae* in huius morbi curatione specificam virtutem tribueret. Cl. SARCONE in peripneumonia maligna, quae *Neapoli* anno 1773. grassata est, summo cum fructu *opium* adhibuit, ita ut magnam aegrotantium partem sanitati restituerit, quum eodem tempore, qui medici venae sectionem instituebant, aegrotos omnes morti mandaverint.

Iam mensibus Novembris ac Decembris anni

1794.

1794. permulti peripnemonia nervosa affecti in Clinico Instituto a patre meo tractati fuerunt. Quidam ex istis veram phlogisticae affectionis in pulmonibus imaginem praeseferebant: quod effecit, ut primum methodus antiphlogistica adhiberetur: sub qua omnia in peius ruere videbantur, donec cognito demum *hosti* arma certiora opponerentur. Aegroti vero, qui morbi naturam paulo clarius ostenderent, mox excitantium ope tractati, vix non omnes, licet morti, quam vitae proximiores in nosodochium delati fuissent, ad sanitatem felicissime perducti sunt. Idem ego fatear necesse est de meis aegrotis, quos maligna pulmonum phlogosi affectos in Clinicum Institutum suscepi. Eorum numerus ad XXXI. ascendit, quorum VI. tantum mors contranitenti mihi abstulit. Methodum excitantem, de qua iam alibi (*a*) locutus sum, constanter in omnibus adhibui. Summa *opii* virtus & in hoc morbo pertractando, ex historiis mox proferendis patebit. Idem de *camphora*, *moscho* dicere oportet: quorum ope non pauci aegrotantes egregie restituti fuere. Sed & aliud remedii genus in auxilium vocavi. De *Radice Polygalae Senekae*, quae adeo a D. TENNENT (*b*) laudata est, loquor. Eam tamen pharmacis modo memoratis postponendam censeo, quod alvi profluvium & vomitum saepius ab ea generatum observaverim. Caetera, quae tum circa remedia in usum vocata, tum circa ipsius morbi decursum dicenda sunt, ex historiis, quas sum narraturus, patebunt. Historia quidem prima, secunda,

---

(*a*) Cap. III.
(*b*) Acta Edinburgh. T. V. p. 2.

ac tertia, quantum difficultatis invenerimus, ubi de peripneumonia nervosa ab inflammatoria distinguenda agebatur, ostendunt, quantumque nocumenti error in ea distinctione (quae revera interdum & humani iudicii aciem & diligentiam fugit omnem) commissus intulerit, monstrabunt. Historiae reliquae remediorum praecipuorum nunc insufficientiam, nunc utilitatem palam reddent.

HISTORIA I. (a)

Iosepha Baruffi, e pago *Trivolzio*, nubilis, annorum 19., debito modo menstruata, die 28. Decembris elapsi anni derepente ab anorexia & vomitu correpta est. Tres dies sic, nullo alio comparente symptomate, transegit. Die vero prima Ianuarii, horis matutinis, a summo frigore, dolore ad latus dextrum thoracis, tussi molesta, cephalalgia ac vomitu cruciata est aegrota. Versus meridiem incaluit, ac tandem sudavit. Mane sequente, parva admodum febris remissio in conspectum venit; sed paulo post febris versus vesperem exacerbata est, auctis quoque reliquis symptomatibus. Die quarta morbi medicus pulverem, nescio quem, & cucurbitulas scarificatas praescripsit, sed incassum. Sexta tandem mensis Ianuarii die, misera ad Clinicum Institutum delata, sequentia notatu digna obtulit: faciem valde rubram, oculos splendentes, respirationem difficilem, tussim cum excreatu sine sanguine, dolorem punctorium ad latus dextrum thoracis, circa sextam vel se-

pti-

(a) Quam descripsit D. M. N. PINCIARA Mediol.

ptimam costam veram, qui sub tussi & profunda inspiratione augebatur. Os viscidum, amarum, lingua sordida, sitis, ructus nidorosi, anorexia, nausea quoque aderant. Calor cutis auctus, pulsus valde frequens, & durus observabantur.

Difficile sane erat, his ita concurrentibus, morbi naturam determinare. Symptomatum gastricorum praesentia, uti & pulsuum frequentia de charactere febris nervosae suspicionem movebant. Verum, cum & in peripneumonia phlogistica appareant haec phaenomena, iuvenilis aetate corporisque satis bonae constitutionis habita ratione, & considerata demum pulsus duritie, morbum pro peripneumonia inflammatoria declaravimus, ac prognosi valde dubia instituta, venae sectionem ad uncias x., potum antiphlogisticum, & rigorosam diaetam praescribenda duximus.

Mane 7.

Sanguis vena eductus corium ostendit. Deliravit per totam noctem. Pulsus filiformes, valde frequentes. Dolor ille interim disparuit, ac tussis pauca sine excreatu absolvebatur. Alvus bis mota. Rebus ita procedentibus, novam venae sectionem instituere minime ausi sumus, qua de caussa potius laxans antiphlogisticum praescribitur.

Vespere.

Semper deliravit. Caetera eodem modo incedunt. Alvus bis mota. Consideratis hinc singulis symptomatibus, habita damni a venae sectione, & alvi purgatione illati ratione, diagnosis institutae fallaciam agnovimus, illamque illico revocavimus, morbo pro peripneumonia nervosa declarato, quae tamen, cum ab initio inflammatoria forsitan fuisset,

set, neglecta, in istam commutata sit. Oppositam ideo mox curandi methodum arripuimus.

℞. *Rad. polygal. senek. drachmas duas,*
Infund. in decoct. cort. peruv. s. q.
Colat. unciarum novem adde
Syrup. cort. eiusdem unciam unam.
M. cap. omni biborio unciam unam cum dimidia.

Bibat calide infusum sambuci.

Habeat iuscula carnea.

Mane 8.

Tota nocte deliravit, quater alvum deposuit; quinquies e lectulo fugere tentavit. Symptomata peripneumoniae aucta. Accesserunt aurium tinnitus, manuum tremor, tendinum subsultus. Vox erat rauca, ac cutis calor urens, pulsus summa cum frequentia & inconstantia micabant.

℞. *Rad. serpent. virgin. drachmas tres.*
Infund. in decoct. cort. peruv. s. q. col. unciarum novem,
Adde,
Syrup. cort. eiusdem unciam unam.
Cap. ut supra.
℞. *Rad. polygal. senek. drachmas tres.*
Coq. c. aq. fontis libris duabus ad col. unciarum viginti.
Adde.
Mellis despumati uncias duas.
M.
Detur pro potu.

Ve-

Vespere.

Alvus semel laxata. Enarrata symptomata aucta, admodum malignam morbi indolem demonstrabant.

℞. *Emuls. arab. uncias septem.*
Mosch. opt. grana viginti.
Haust. narcot. unciam unam.
M.

Cap. omni hora unciam unam.

Repet. potus.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Diaeta eadem.

Mane 9.

Aliquantulum praeterita nocte obdormivit aegrota, ac parum deliravit. Symptomatum cohors minori vi procedit; alvus clausa, lingua minus sicca.

Repetantur omnia.

Vespere.

Non deliravit, omnia symptomata imminuta. Alvus clausa.

Repetantur singula. Iniiciatur clyster emolliens.

Mane 10.

Tantisper quievit, non deliravit; sudavit, caetera eodem modo continuant.

Repetantur omnia.

Vespere.

Bis alvus laxata, omnia melius procedunt.

Repetantur omnia. Augeatur moschus ad grana triginta quatuor.
& haust. narcot. ad uncias duas.

Mane 11.

Bene dormivit, ac toto corpore abunde sudavit. Dolor lateris disparuit. Tussis pauca, sine sputis. Tria urinae vascula minxit, cum sedimento lateritio.

Repetatur medicina.

Vespere.

Quievit, sudavit, disparuere omnino tinnitus aurium, tremores manuum ac tendinum subsultus. Nondum appetit.

Repetantur omnia.

Mane 12.

Per totam diem eodem modo ac heri se habuit, quare omnia repetenda iudicavimus.

Mane 13.

Res semper in melius vergunt. Parum sudavit, symptomata peripneumoniae, praeter tussim quandam,

dam, disparuerunt. Appetit, concessimus diaetam tertiam.

Vespere.

Nihil novi.

Mane 14.

Omnia bene succedunt.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Emuls. arab. uncias tres.
Mosch. opt. grana decem.

Capiat omni bihorio uncias duas.

A qua methodo cum non recederemus, die 23. mensis, aegrota, perfecte sanata, ad convalescentes delata est, quo loco per tres dies mansit, ac demum bene valens domum petiit.

HISTORIA II.

Ioanna Rosi ex loco Monti, 14. annorum, necdum menstruata, febribus intermittentibus subiecta, iam ante mensem pruritum magnum, ac valde molestum ad femur sinistrum persensit. Paulo post pustulae rubrae ibi comparuerunt, quae scalpendo disruptae, saniem acrem, partes vicinas mordentem effuderunt, largiori copia. Nunc vero partem affectam vidimus ita, ut malum pro herpete rodente declarandum esse existimaremus. Quindecim abhinc diebus febris intermittens anomala in conspectum se prodidit, quae nulla facta medela disparuit, sat magnam debilitatem relinquens. Die 10. Februarii, a parvo frigore dere-

pen-

pente invaditur puella, cui calor urens, sitis inexplebilis, cephalaea insignis, anorexia, atque summa virium prostratio, succedunt. Iam 24. horarum spatio febris saevierat, quum insignis dolor lancinans ad costas spurias sinistri lateris oriebatur. Aegrota tunc temporis ad nosocomium defertur, ubi venae sectio ad uncias novem instituitur, propinato simul decocto antiphlogistico. Imminuitur inde lateris dolor, sed vires longe magis deiiciuntur. Admittitur puella in Scholam Clinicam die febris 4., mensis Februarii 23., horis matutinis, ac meo examini traditur. De summa cephalaea conquerebatur aegrota, oculi erant fulgentes, genae rubrae, lingua sicca flavo muco obtecta, os valde amarum, & cutis urens. Respirationem invenimus difficilem, ac sub ipsa dolor ille lateris sinistri quam maxime augebatur, immo decubitus in latus oppositum impossibilis erat. Tussis molesta, absque sputis absolvebatur. Herpes non amplius saniem effundebat. — Pulsus aliquomodo plenus cum duritie micabat. Quae morbo originem praebuisse videbantur causae, erant nimii labores, ira, frigus, sat bono interim utebatur puella nostra victu. Morbus pro peripneumonia inflammatoria declaratus fuit, ac consilio ill. Professoris RAGGI, venae sectio ad nncias sex, clyster emolliens, fomentationes ad locum dolentem, & decoctum antiphlogisticum propinata sunt.

Vespere.

Dolorem aliquomodo imminutum invenimus. Continuabat eadem vi respirandi difficultas ac tussis. Pulsus pleni & duri, sed inconstantes, detegebantur. Nova venae sectio ad uncias octo imperata est, porrecta simul potione laxante antiphlogistica.

Ma-

Mane 24.

Sopore ac deliriis detentam invenimus miseram. Dolor lateris, tussis eadem ratione prosequebantur. Facies pallebat, excepta gena destra, quae colore rubro notabatur. Pulsus erant parvi, contracti, alvus clausa. Hisce bene perpensis, viam medendi diversam ineundam existimavimus, quae quidem postea & ill. Professoris RAGGI, denique in consilium vocati, approbationem obtinuit.

℞. *Emulsion. arab. uncias septem,*
Moschi grana viginti.

Cap. omni ½ hor. unciam unam.

Appl. vesicans ut rubefaciens loco dolenti. Habeat iuscula carnea, & uncias sex vini optimi.

Vespere.

Melius se habuit aegrota, ac minus infirme, pulsus maiori vi micabant. Alvus clausa.

Rep. omnia.

Mane 25.

Tota nocte a vehemente tussi cruciata fuit; nunquam tamen deliravit. Caetera eodem modo se habebant. Accesserat aurium tinnitus.

℞. *Emuls. arab. uncias septem.*
Mosch. optimi scrupulum unum.
Haust. narcot. unciam dimidiam.

Cap.

Cap. ut supra.

Habeat iuscula cum ovis, vinum ut heri, ac vini malvatici uncias octo.

Vespere.

Soporosa tantisper fuit, copiose sudavit, respiratio nunc facilis, nunc iterum per insultus difficilis redditur.

℞. *Emuls. arab. uncias novem.*
Mosch. opt. grana triginta.
Haust. narcot. unciam unam.

Cap. more solito.

Mane 26.

Soporosa fuit, ac per totam noctem deliravit. Quaestionibus stupida respondebat. Aurium tinnitus fortis, ac tendinum subsultus observabantur. Pulsus erant parvi atque contracti.

℞. *Rad. polygal. senek. drachmas duas.*
Infund. in decoct. cort. peruv. fervid. s. q. colat. unciar. novem, adde
Mosch. optim. scrupulum unum,
Syrup. papav. unciam unam.

Cap. more solito.

℞. *Emuls. amygdal. libras duas.*
Aq. cinnam. uncias duas.
Sacch. alb. drachmas tres.

M. detur pro potu.

Ves-

Vespere.

Delirabat quammaxime, ac divaricatis cruribus in lectulo iacebat. Inexplebilis sitis aridas fauces exurebat. Pulsus frequentissimos, & violentos tendinum subsultus observavimus.

Rep. singula.

Mane 27.

Pulsus in minuto primo 130. micabat. Nox inquieta fuit, & semper aegrota deliravit. Caetera ut heri vespere. Dolet valde ab attactu abdomen; alvus ter soluta.

Rep. medicina; bibat calide infus. chamomillae, illiniatur abdomini liniment. volatil. Victus idem.

Vespere.

Delirium & sopor fere disparuerunt, aegrota hilaris.

Rep. omnia.

Augeatur vini dosis ad libram unam.

Mane 28.

Optime per omnem noctem dormivit. Post aquam frigidam assumptam, semel vomitum passa est. Dolorem, qui thoracem cinguli instar circumdaret, accusat. Pulsus in minuto primo 120. micabat. Sitis multa, caetera eodem modo.

℞. *Emuls. arab. uncias septem.*
Mosch. opt. grana triginta.
Syrup. papav. alb. uncias duas.

Cap. more solito.

Potus excitans.

Vespere.

Quam optime se habet aegra. Toto corpore sudat. Pulsus vix naturali frequentior. Parum sitit.

Rep. med., augeatur mosch. dosis ad grana quadraginta.

Mane 1. Martii.

Bene dormivit, debilitatem maiorem accusat, forsitan quia ter alvum copiose deposuerat. Aliqua fames.

Rep. med., cui adde extract. cort. peruv. unciam dimidiam.

Concedantur iusculum, ova, ac dimidia pars pulli.

℞. *Vini malvat. uncias octo.*

Cap. paulatim.

Vespere.

Bene se habebat, ac de abdominis dolore tantum conquerebatur.

Rep.

Rep. med.

Illiniat. abdom. liniment. volat.

Mane 2.

Deliravit hac nocte, saepe tussiit. Caetera continuant.

Rep. med., cui adde kermet. mineral. grana duo.

Vespere.

Bene se habuit, parum a tussi molestata est. Copiose sudavit.

Rep. singula.

Mane 3.

Dormivit optime, viresque redeunt.

Rep. med.

Mane 4.

Perfecte convalescens est puella.

℞. *Emuls. arab. uncias novem.*
Moschi opt. grana viginti.
Extract. cort. peruv. unciam dimidiam.

Cap. ut supra.

Diaeta eadem.

Vini malv. uncias quinque.

Mane 5.

Perbene se habet.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias sex.*
Extract. cort. eiusdem drachmas duas.
Emuls. arab. uncias sex.

Cap. omni hora uncias duas.

Mane 6.

Ad convalescentes demissa est aegrota, atque post aliquos dies domum sana petiit.

Venantio RIGAMONTI,
M. D.

HISTORIA III.

Carolus Belloni, vir 40. annos natus, olearius, die 7. Aprilis, postquam ex ecclesia egressus fuit, derepente ab atroce hepatis regioni infixo dolore prehenditur, cui mox frigus, dein calor, successerunt. Paulo post dyspnoea, capitis lumborumque dolores, ac tussis in conspectum venere. Chirurgus quidam tunc venae sectionem instituit cum summo levamine. Die 12. tandem mensis delato in Scholam Clinicam aegroto, faciem observavimus rubram, respirationem brevem & difficilem, tussim cum sputis sanguineis. Dolor hepatis persistebat, sed ab attactu minime augebatur. De scapularum dolore conquerebatur. Pulsus erat modice frequens, plenus ac durus. Habita ratione aegrotantis, corporis aspectu firmi, tum aetatis, temporis verni, beneficio a V. S. instituta accepti, atque pulsuum status, quum nulla caussa de-

debilitans pateret, morbum pro peripneumonia inflammatoria declaravimus, ac prognosi valde dubia instituta, V. S. ad uncias novem praescripsimus, concessa pro potu aqua fontis, ac rigorosa diaeta.

Mane 13.

Dolor ille post cruoris emissionem multum imminutus. Pulsus minus frequentes.

℞. *Haust. salin. uncias septem.*
Tart. emet. granum unum.
Cap. omni bibor. cochl. duo.

Vespere.

Quinquies alvum deposuit, minime sudavit, dolor ille atque tussis eodem modo saeviunt. De summa debilitate conqueritur aegrotus. Apparuit nunc tantum ex repetitis quaestionibus viro propositis, eum pellagra laborasse; quare seposita omnino methodo antiphlogistica, huic contrariam arripuimus.

℞. *Emuls. arab. uncias septem.*
Kermet. miner. grana tria.
Haust. narcot. unciam unam.

Capiat omni hor. unciam unam.

Vini opt. uncias septem. Habeat iuscula carnea.

Mane 14.

Soporosus per totam noctem fuit, ac divaricatis cruribus in lectulo stupidus decubuit. Alvus

quinquies laxata, caetera eodem se habent modo.

℞. *Rad. polygal. senek. drachmas duas.*
Inf. in decoct. cort. peruv. ferv. s. q. col. unciarum novem

Adde syrup. papav. alb. unciam unam.

Capiat omni hora unciam unam.

Vespere.

Bis alvum deposuit, sudavit ad caput. Continuat tussis cum sputis sanguineis.

Rep. med.

Habeat Vini optimi uncias novem.

Mane 15.

Per totam noctem soporosus fuit, expectoratio pauca. Dolor ad hepar prevertit novus, immo ad lien insurrexit. Pulsus debiles, tendines subsiliunt. In consilium vocavimus ill. Professorem RAGGI, qui sequentia ut praescriberemus, suasit.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Campb. mucilag. arab. sol. drachmam dimidiam.

Syrup. papav. unciam unam.

M. Capiat ut supra.

Illiniatur abdomen cum linimento volatili & camphora, ac imponantur denique fomenta emollientia. Habeat vini rubri libram unam.

Ves-

Vespere.

Medicinae dimidiam partem tantum assumpsit aegrotus, qui gratiorem appetit. Bis alvum deposuit. Caetera symptomata eadem ratione persistunt.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias quatuor.*
Aq. cinnam. uncias tres.
Mosch. opt. scrupulum unum.
Syrup. papav. uncias duas.

Cap. omni dimidia hora unc. dimid.

℞. *Vini malvat. uncias sex.*

Capiat paulatim, continuet in caeteris.

Mane 16.

Male res procedunt. Facies hippocratica. Appetit nihilominus.

Rep. med. Applicentur duo rubefacientia ad brachia. Iniiciat. clyster ex camphor. & decoct. chinae; Rep. diaeta cum ovis ac frictura.

Vespere.

Soporosus aeger ac semi delirans, morti proximior fuit, quam vitae.

Repet. omnia.

Mane 17.

In agone haerebat.

Versus meridiem extinctum invenimus.

Sectio Cadaveris.

Aperto thorace, pulmones cum pleura arcte concretos ubique invenimus. Pulmo undequaque pseudomembrana ac lympha coagulabili coopertus erat. In cavo thoracis dextro sat copiosam aquam deteximus. Ipsa pulmonis substantia vix inflammata erat. In abdomine nihil praeter naturam vidimus. Hepar enim, licet mole auctum, nulla tamen inflammationis indicia ostendebat.

Ioseph BARUFFINI
ex Casal. Maggiore M. D.

HISTORIA IV.

Iosephus Rasca, Ticinensis, 17 annorum iuvenis, iam a 4. annis febre quartana, quae paucis abhinc diebus sanata fuit, laborabat. Postquam corpus laboribus permultis gravissimisque defatigaverat, die 14 Aprilis a febre continua prehensus est. Secunda morbi die vehemens dolor ad cordis scrobiculum ortus est, qui per totum abdomen, nec non per ipsum pectus sese extendit. Secuta sunt respiratio difficilis, tussis, ac decubitus in latera fere impossibilis. Domi remansit, nulla adhibita medela, usque ad diem 20 mensis, qua ad nosocomium inferius delatus fuit, ubi mox V. S. instituta fuit, sine aegrotantis levamine. Mane 20 Aprilis in Clinicum Institutum delato iuvene, praeter iam exposita perineumoniae symptomata, magnam virium deiectionem observavimus. Aegrotus sitim & oris amaritiem accusabat. Tussis paucis sputis, nullo sanguine tinctis, absolvebatur. Calor cutis erat mordax, ac pulsus

con-

contractus, in minuto primo 116 ictus ostendebat. Morbo pro peripneumonia nervosa declarato, pessima tam neglectae aegritudinis prognosi instituta, sequentia praescripsimus.

℞. *Emuls. arab. uncias novem.*
Mosch. opt. scrupulum unum.

Cap. unciam unam omni dimidia hora.

Potus excitans.

Habeat iuscula carnea, & uncias octo vini. Applicetur vesicans ut rubefaciens loco dolenti, & fomenta super abdomen. Iniiciatur clyster ex emulsione arabica.

Vespere.

Omnia eadem ratione procedunt. Aspectus aegrotantis tamen peior.

Repet. singula, excepto vesicante.

Mane 21

Respiratio difficillima ac summa anxietas per totam noctem aegrotantem cruciaverunt. Pulsus magis frequentes, alvus semel laxata.

Rep. omnia.

Vespere.

Omnia in peius ruebant, ac suffocationem instantem annunciabant.

Rep.

Rep. med. aucto moscho ad grana triginta, & applicentur duo vesicantia ut rubefacientia ad brachia.

Mane 22.

Obiit suffocatus.

Cadaveris sectio.

Aperto thorace, magnam pulmonum inflammationem deteximus. Pulmones erant cum pleura concreti, ac lympha coagulabili cooperti. Ipsa haec lympha bronchia implebat.

In abdomine nil morbosi invenimus.

GRATOGNINI
M. D.

HISTORIA V.

Molitor ex Sancto *Leonardo*, 40. annorum, sat bene nutritus, die nona Maii, cum ventis per multum tempus expositus fuisset, incepit subsequente die se male habere, languere, & horrore sat forti, per quatuor horas perdurante, prehendi; dein incaluit; vix post caloris invasionem, dolor intra quartam & quintam costam veram sinistri lateris insurrexit cum tussi frequente, sicca, dolorem exacerbante. Decubitus in utroque latere difficillimus, debilitas magna, aurium susurrus, & capitis dolores aderant. Febris peripneumoniam concomitans remisit matutinis horis: exacerbabatur vespertinis. Cum hisce symptomatibus per quatuor dies, absque pharmacis, lecto decumbere coactus fuit, dein chirurgo advocato, atque soli dolori innixo, venam hic aperuit. Vix aperta vena, dolor per

per quadrantem horae tantisper remisit, dein eadem, ac antea, intensitate, continuavit; debilitas increvit, atque per quatuor adhuc dies, cum decocto hordei aeger morbum oppugnavit, dein quum res quotidie in peius rueret, ad nosocomium se transferri curavit, atque ad clinicum recepto aegroto, haec ulterius observavimus. Difficillime respirabat, de immenso pectoris pondere conquerebatur, frequenter tussiebat, nihil vero exspuebat, moesta erat facies, cephalaeam maximam, & aurium susurrum accusabat. Alvus regulariter movebatur, calor cutis urens, pulsus frequentes, debiles, summopere inconstantes, ac tendinum subsultus aderant. Hisce consideratis, de peripneumonia nervosa non dubitavimus. Pro morbi caussa nihil, praeter tempestatis mutationes, adducit aeger; quare prognosin discrimine plenam pronuntiantes, praescripsimus sequentia;

℞. *Rad. polygal. senek. drachmas duas.*
Infunde in decoct. cort. peruvian. suff. quant.
Colaturae unciarum novem, adde
Syrup. papav. albi unciam unam & dimidiam.

M. Cap. more solito.

Diaeta II. cum libra una vini.

Mane 8. m. d.

Sat bene hac nocte dormivit, aliqua in febre remissio aderat, frequenter tussiebat, sed tussis est humida, dolor pectoris tantisper imminutus, difficultas vero spirandi continua.

Rep.

Rep. medicina. Sumat omni dimidia hora cochlearia duo.

Diaeta II. cum libra una & dimidia vini.

Vespere.

Febris, & peripneumoniae symptomata aucta fere.

Quare praescripta continuavimus, medicinae tantum addendo guttas quindecim laudani liquidi.

Mane 9. m. d.

Non multum hac nocte dormivit, semel alvum deposuit, dolor pectoris valde urget, tussis frequens cum excreatu copioso, difficultas spirandi continuat; febris eodem in statu, ac heri mane.

Repet. omnia.

Vespere.

Dolor pectoris vix persentitur, difficultas spirandi continuat, magna febris exasperatio, tendinum subsultus frequentiores.

Repet. omnia.

Mane 10. m. d.

Multum hac nocte dormivit, dolor pectoris disparuit, difficultas spirandi manet, tussis cum excreatu aquoso continuat, remissio febris sat conspicua.

Re-

Repetatur medicina, & loco laudani liquidi exhibeatur aetheris vitrioli drachma una.

℞. *Vini malvat. uncias sex.*

Vespere.

Dolor nullus, sed maxima spirandi difficultas observatur, cum febris exacerbatione magna, tremoribus crebrioribus: vires magis conciderunt; semel alvum deposuit.

℞. *Rad. polyg. senek. drachmas duas.*
Infunde in decocto corticis peruviani. s. q.
Colat. unciarum novem adde.
Laudani liquidi guttas quindecim.
Aetheris vitrioli drachmam unam.
Syrup. papav. albi uncias duas.

M.

Sumat omni dimidia hora cochlearia duo.

℞. *Vini malvat. uncias sex.*

Mane 11. *m. d.*

Res in melius vertuntur. Multum dormivit hac nocte, & sibimet ipsi relictus, illico obdormit. Difficultas respirandi imminuta, tussis cum excreatu aquoso continuat, pulsus magis elevati.

Repet. omnia, absque laudano liquido.

Vespere.

Parva exacerbatio. Non amplius tantam accusat de-

debilitatem, facies melior, difficultas spirandi, ac tussis continuat, semel alvum deposuit.

Repet. medicina cum laudano liquido.

Mane 12. m. d.

Facilius respirat, & febris symptomata imminuuntur; tussis cum excreatu copioso continuat, bene dormit, appetit.

Repetantur omnia.

Diaeta II. cum dimidia columba, & libris duabus vini.

Vespere.

Pauca exacerbatio, debilitas imminuitur, bene respirat, tussis cum excreatu copioso continuat.

Repet. omnia.

Mane 13. m. d.

Pauca febris, bene dormivit, semel alvum deposuit, caeterum bene se habet.

Repet. omnia.

Vespere.

Sine manifesta caussa, magna exacerbatio accessit, debilitatem magnam accusat, aspectus omnino mutatus, calor cutis urens, tendinum subsultus crebriores, pulsus parvi, irregulares, anxietas magna.

℞.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Camph. mucilag. gummi arabici solutae drachmam dimidiam.
Syrup. corticum aurantiorum unciam unam.
M.

Capiat omni hora cochlearia duo.

Duo rubefacientia ad suras. Dein

℞. *Camph. mucilag. arab. subactae drachmam unam.*
Infus. chamom. uncias sex.
M.
Dentur doses tales Nro. *tres, pro tribus clysmatibus, omni bihorio iniiciendis.*

Mane 14. *m. d.*

Nunquam hac nocte dormivit, continuo mussitavit, ascaridem evomuit, semel alvum deposuit. Caetera eodem modo continuant.

In omnibus, praeter rubefacientia, continuat.

Vespere.

Nulla in morbo mutatio.

In omnibus continuetur.

Mane 15. *m. d.*

Tota nocte dormivit, semel alvum deposuit, pulsus parvi, irregulares, calor cutis non tantus, facies multum collapsa, magna anxietas.

℞.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias septem.*
Aquae cinnamom. uncias tres.
Camph. mucilag. arab. solut. scrupulum unum.
Syrup. cort. aurant. unciam unam.

M. cap. ut supra.

Vini malvat. uncias sex.

Vespere.

Magna exacerbatio; tentat continuo e lecto surgere, sed vires non sinunt, calor urens, difficultas spirandi, pulsus magis elevati.

Continuet in omnibus.

Mane 16. m. d.

Magna remissio; parum hac nocte dormivit, multum deliravit, pulsus magis elevati, facies melior, debilitatem magnam accusat, spirandi difficultas cum tussi continuat.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias octo.*
Aquae cinnamom. uncias tres.
Extracti corticis peruv. unciam dimidiam.
Aetheris vitriol. drachmam unam & dimidiam.
Syrup. cortic. aurant. unciam unam.
M.

Capiat omni biborio cochlearia duo.

Vini malvat. uncias sex.

Ve-

Vespere.

Pauca febris; sed respirandi difficultas continuat, vires insurgunt.

Quum multa medicina adhuc adesset, sumat; quod remanet, dein quiescat.

Mane 17. m. d.

Bene dormivit. Vix febris symptomata observantur, & de nulla re conqueritur, nisi de tussi & spirandi difficultate.

Rep. medicina, addendo guttas quindecim laudani liquidi.

Vespere.

Nil, praeter aliquam spirandi difficultatem ac tussim conqueritur.

Repetantur omnia.

Mane 18. m. d.

Bene dormivit, tussis summopere agitat aegrotum, difficultas spirandi imminuitur.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias sex.*
Emuls. arabic.
Aquae cinnamom. ana uncias tres.
Extr. cort. peruv. drachmam dimidiam.
M.
Capiat omni hora cochlearia duo.

Vespere.

Nihil, praeter spirandi difficultatem.

Sumat, quod remanet medicinae; dein

℞. *Infus. sambuc. uncias novem.*
Haust. narcotici uncias tres.
M.
Sumat omni biborio cochlearia duo.

Mane 19. m. d.

Spirandi difficultas disparuit, sed tussis continuat.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias octo.*
Aquae cinnamom.
Emuls. arab. ana uncias tres.
Extract. cort. peruv. drachmam dimidiam.
Haust. narcot. uncias duas.
M.
Sumat omni hora cochlearia duo.

Vespere.

Nihil, praeter aliquam tussim observamus.

Sumat, quod remanet medicinae.

Mane 20. m. d.

Bene dormivit, & si excipias aliquam tussim, & debilitatem a morbo superstitem, prorsus convalescit.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem ;*
Emuls. arab.
Aqu. cinnamom. ana uncias tres .
Extr. cort. peruv. drachmas duas .
Haust. narcot. uncias duas .
M.
Capiat omni horà cochlear. unum .

Vespere .

Bene se habebat , & ad convalescentes fuit demandatus .

Anton. Eliseus BALDUZZI
ex Molendino de Tortis , Derthonensis .



CAPUT IV.

Scarlatinae nervosae.

PRaeter scarlatinam vix aliud, quod sciam, exanthema primarium, hoc anno regnavit. Ipsae quoque scarlatinae quammaxime inter se differebant, quum febrem nunc inflammatoriam, nunc nervosam comitem habuerint. De scarlatina *phlogistica* iam alio loco (*a*) mentionem inieci, nunc de *nervosa*, ab illa toto coelo diversa, dicam aliqua. Recte mihi Nosologi scarlatinam inflammatoriam in *leviorem gravemque* dividere videntur. Eandem hinc scarlatinae nervosae distinctionem lubens & ego statuerim; namque ex eo, quod hoc exanthema nervosa stipetur febre, non ideo semper illud ad eas scarlatinas malignas, quae cynanchem gangraenosam comitem habent, pertinere existimandum est. In Clinico Instituto IV. scarlatinae nervosae levioris exempla, atque alterum gravioris, observata fuerunt. Singuli aegroti sub methodo, contra febres nervosas commendata, cito perfecteque sanati exierunt. Seposita methodo evacuante, quae nonnisi scarlatinae phlogisticae convenit, aegrotantes non atmosphaerae frigidiusculae, sed potius calidae, ne vires iam fractae ultro deprimerentur, commisi. Esset enim facile, ut neglecta hac lege, in exanthemate hoc idem accideret, quod in variolis quotidiana experientia docet evenire. A frigore enim eruptio variolae beni-

(*a*) Cap. I. Hist. I.

nignae promovetur mirifice, sed retinetur illa malignae atque reprimitur. Quidquid vero nocumenti malique in aegrotis conspiciendum se praebeat, non tamen id a *repulsione* exanthematis mihi videtur derivandum esse: quum retropulsio ipsa iam alterius causae *effectus* sit. Longe rectius tum dicemus; disparuit exanthema, seu retrocessit, quia morbus increvit, non vero hic increvit, quia exanthema dereliquit exteriora. Quando, Dii boni, cessabimus demum effectum pro caussa, caussamque pro effectu venditare (*)! Ut vero ad illud,

 un-

(*) Anno 1785. scarlatina nervosa grassabatur Goettingae, pleraque aegrotantium pars octavo circiter morbi die intumescebat. Invadebat absque dubio haec leucophlegmatia illos homines, quibus aut tarda, aut rara fuerat eruptio, ipsumve exanthema iusto celerius defloruerat. Ita, inquit WEDEMEJER (*Historia Scarlatinae, nuper Goettingae grassatae. Ibi* 1785.) per insidias pugnabat vis morbi, quae in internis claustris remanebat. Scarlatinae morbus non semper epidemice homines aggreditur, uti a nonnullis ferebatur medicis, verum etiam sporadice genus humanum afficit. Quae ab Auctore nostro traduntur historiae, hoc clare demonstrant, nullumque epidemiae indicium ostendunt. Scarlatina phlogistica non tantum, ut scarlatina nervosa, medici considerationem postulat, quippe quae variis, iisque atrocibus apparet symptomatibus stipata. Liceat mihi aliqua exempla ab Auctoribus desumpta hic loci tradere, ut magis magisque Tyrones medici scarlatinae nervosae historiam singulis numeris absolutam sub oculis habeant, Auctorisque nostri divisionem comprobatam scarlatinae nervosae *levioris & malignae* exemplis confirmatam percipiant.

Observatio I.

„ Mense Novembris 1759. (STOERK *Annus medicus II. pag.* 46.) cum Vindobonae in Nosocomio

Paz-

unde discessi, redeam argumentum, silentio quatuor illas scarlatine levioris historias, quum nihil obser-

---

Pazmariano ex febri continua catarrhali, cui saepe miliaria exanthemata superveniebant, multi decumberent, alia febris non paucos corripuit, quae primis diebus valde mitis erat: etenim levis tantum & obtusus aderat capitis dolor, appetitus languebat, pulsus fuit naturali paulo celerior, nec tam plenus, nec durus, nec suppressus, sitis mediocris, lingua humida alba, oculi solito minus vivaces. Alvus quotidie naturalis prodiit, urina crassam in medio nubem gessit. Incipiente quarto die omnia symptomata subito exacerbata sunt. Pulsus summa violentia exagitabatur ita quidem, ut eodem die binae, ternaeve sat largae venae sectiones debuerint institui, caput acutissime doluit, in pectore orta est anxietas, & respirandi magnus labor, lingua fuit aridissima, oculi rubore suffulti & protuberantes, sitis immaniter aucta; totum corpus, maxime vero extrema calor urens invasit; urina fuit ruberrima, crassa, quasi multo sanguine tincta; accessit delirium, sopor, corporis inquietudo. Factis necessariis venae sectionibus, & dato copiosissimo potu diluente, nitroso, sub finem diei quarti tota cutis aspera, seu anserina apparuit, & mox rubuit colore scarlatino. Nullum tamen symptoma inde levatum est, & aegri frequenter tussitarunt, & noctem habuerunt admodum inquietam. Quinto die praegresso per universum corpus largo sudore, remisit calor urens & tussitatio; mox pruritus cutim occupavit, dein visae sunt numerosae pustulae albicantes, opacae, magnitudinis & figurae diversae, & quaedam ex his confluentes sat magnas vesicas efformarunt. Pustulae hae densissimo agmine collum, pectus, & abdomen obsederunt; in facie autem erant nullae, in extremitatibus paucae. Factis his eruptionibus quidam aegri se multo melius habuerunt: disparuit enim sopor, abiit delirium, sitis & pulsus velocitas imminutae sunt. Immo pulsus in quibusdam fuit bonus & aequalis, & omnia symptomata adeo mitia, ut totum opus soli naturae tuto nunc potuerit committi. Aliqui autem manserunt soporosi, continuo delirarunt; eorum pulsus fuit debilis, inaequalis,

observatione valde dignum contineant, praeteribo. Sed aliam, de qua iam dixi, historiam, utpote

---

lis, intermittens; urinam & faeces inscie dimiserunt, tendines subsilierunt, & artus convulsionibus exagitabantur. Sexta die in eodem statu perstitere. In principio septimi diei ortus est horror, dein ingens frigus omnia membra perrepsit, quod ultra horam duravit, extrema reddidit gelida, rigida, & tantum induxit virium prostrationem, ut mortem allaturum videretur. Cessante tamen hoc frigore mox aegri ad se redierunt, nec delirarunt amplius, pulsus fuit aequalis, liber, minus velox, & ab eo tempore vires auctae sunt. Eodem autem die pustulae omnes magis elevatae sunt, & redditae pellucidae; etenim limpidissima lympha videbantur repletae: color scarlatinus coepit evanescere, & sitis imminuitur; urina fuit crassa, turbida, & copiosum sedimentum subfuscum deposuit. Aegri quinto die magnum levamen perceperunt, & habuere symptomata admodum mitia; ii septimo die levem tantum horripilationem perceperunt: pulsus fuit paulo celerior, & pustulae magis repletae sunt & pellucidae; reliqua autem omnia optimo in statu permanserunt. Octavo die nihil mutatum est, nisi quod iis, qui septimo die male habuerunt, aliquoties alvus biliosa, liquida, foetida cum magna euphoria prodierit; iis vero alvus fuit naturalis, qui minorem septimo die molestiam perceperunt. Nono die febris fuit admodum exigua; urina fere naturalis; alvi profluvium siluit; color scarlatinus sensim in naturalem abiit; pustulae partim ruptae sunt, & limpidum serum fuderunt, partim conciderunt, & exsiccatae sunt. Decimo die tota fere cutis naturalem colorem habuit, & omnia erant meliora, & quidam ex his aegris ab omni febre liberi, iam per aliquot horas extra lectum fuerunt. Undecimo die in omnibus desiit febris, rediit appetitus, epidermis lamellatim secessit, intra paucos dies viguerunt vires & valetudo fuit integerrima ".

Observatio II.

„ Anno 1763. in Cephaloniae urbe (Auctor est qui-

summi momenti, quia luculentissimum praebet inflammationis nervosae exemplum, in medium profe-

---

dam Doctor ZULATTO, & observatio extat in *Tom. II. del Giornale medico del Dott.* ORTESCHI) vicinisque locis hiemi praehumidae, nec multum frigidae successit ver siccum, & solito frigidius. Siccitas autem tanta fuit, ut per quatuor subsequentes menses nulli imbres deciderint, & ne rores quidem nocturni, qui calorem & siccitatem illius insulae temperare solent, adfuerint. Mense maio ad finem vergente tempestas repente in calidam & opprimentem mutata est. Tunc praeter febres tertianas duplices continuas, purpura scarlatina tam in urbe, quam in vicinis pagis vagari coepit, pueros praesertim, & adolescentes utriusque sexus corripiens, immunibus, qui annum vigesimum praetergressi erant, relictis In aliquibus morbus incipiebat ab horroribus vagis cum virium deiectione & acutissimo capitis dolore; in aliis a subitanea lassitudine cum intolerabili totius corporis ardore. Fere omnes querebantur appetitus defectum, sitim magnam atque inexplicabilem, oris ariditatem & amaritiem, & membra veluti fracta. His praeterea lingua erat sordida, muco albo & viscido obducta, & nausea perpetua, quam interdum excipiebant vomitus spontanei aquosi, spumidi, flavi, atque amari. Secundo, tertio, aut quarto die febris, quae semper vehemens erat, accessu collum primum, deinde totum corpus rubore suffundebatur. Rubor autem magis vel minus intensus apparebat, prout morbus gravior, vel mitior erat futurus. Rubore non minor erat cutis ardor & siccitas, quibuscum coniungebatur. Colorem hunc vere purpureum hic illic interstinguebant quaedam minutissimae bullulae non valde elevatae, semina sinapios magnitudine aequantes, interdum etiam minores. Exanthematica huiusmodi eruptione non febris, non eius symptomata minuebantur: immo atrocius mox capitis dolor intendebatur; pectoris oppressio, anxietas & inquietudo magis assidue premebant. Nonnunquam accedebat etiam delirium, immo infantes inter brevem, interruptumque somnum subinde convellebantur. Punctiones vero, sive mavis morsus, quos circa cordis scrobiculum percipiebant,

feram. Aegrota nempe, praeter universae cutis inflammationem scarlatinosam, sat profundam, fau-

---

bant, molestiores fiebant. In plerisque alvus adstricta erat. Hi febri vehementiore & gravioribus symptomatibus afficiebantur. In aliis iam ab initio fluebant excrementa foetidissima, crocea, lumbricis permixta, atque in his mitior morbus erat. Quibusdam pueris, qui videlicet facie pallebant & macilentiores videbantur, lumbrici non pauci tam ore, quam ano sponte & sine aliis excrementis prodibant, modo vivi & vegeti, modo mortui & corrupti. Per utramque hanc viam, spatio quatuor dierum amplius quinquaginta lumbrici a puella duodecim annorum excreti sunt. Fere omnibus post quartum diem dolor, tumorque parotidum superveniebat. Quibus huiusmodi tumor deerat, fauces inflammatione tentabantur, & difficilis deglutitio evadebat. Paucissimi ab alterutro incommodo liberi extitere. Nemini parotides suppurarunt. Resolvebantur enim modo citius, modo tardius, prout rubor & febris evanescebant, & prout deiectionibus morbi fomes depellebatur. Satis erat eas inungere linimento aliquo, cui camphora adiecta esset. Eodem pariter ordine, eademque naturae providentia faucium inflammatio minuebatur. Die septimo, aut etiam ante in breviori morbo, in longiori vero die undecimo, aut decimo quarto rubor quadam quasi tenuissima farina aspergi videbatur, qua sensim cuticula albescebat, principio in superioribus partibus facto. Tunc sic pruriebat cutis, ut scabere eam oblectamento esset: Sic farina illa secedens, aut cuticula in squamas soluta decidebat. Tum febris cito mitigabatur, interdum etiam ex toto cessabat, etsi adhuc ad aliquot dies rubor persisteret. Appetitus redibat cum somno longiori & pacatiori. Sudor vero nullus erumpebat, nisi discusso penitus scarlatino rubore. Urinae, quae inter initia parcae, tenues & aqueae fluebant, progressu & inclinatione uberiores & saturatiores factae sunt. Hinc vires & sanitas redintegrabatur".

Obser-

faucium quoque intensam phlogosin ostendebat, quae methodo antiphlogistica manifeste augebatur, ac

---

Observatio III.

,, Per febrem adeo vehementem se manifestabat epidemia scarlatinae (NAVIER *de constitutione epidemica scarlatinae anno* 1751. *in Catalonia grassatae* . Extat in quodam huius medici opere, cui titulus *Dissertation ou forme des lettres sur plusieurs maladies populaires . Paris* 1753.), quae animi deliquiis, lassitudinibus spontaneis, capitis, fauciumque doloribus deglutitionem impedientibus comitata erat. Secundo die, & saepe post vigintiquatuor horas, vel triginta, in toto corpore maculae rubrae, vivido scarlatino colore latae, manus magnitudinem saepe excedentes, figurae singularis, & dorsum, pectus, femora, & nates saepe ita tegentes, ut unica tantum esse videretur, apparuerunt. Hae maculae, quovis fere momento disparentes se in alia loca erysipelatis more conferre videbantur, in quibus antea non fuerant. Manus, easdem tangens, calorem vividum, & ardentem, praecipue in adultis, sentiebat, & cutis ruberrima digito compressa albescens, remoto digito statim rursus rufescebat. Pulsus parvus, & frequens erat; respiratio difficilis, & intercepta, & singultosa in plurimis esse videbatur. Halituosus vapor e pulmonibus egrediens adeo calidus, & urens deprehendebatur, ut unusquisque hunc percipiens faciem ab aegro statim avertere cogeretur. Haec febris etiam interdum cum manuum, & brachiornm inflatione coniuncta fuit, integrasque familias aut insimul, aut successive invasit. Quibusdam lingua erat valde sicca, plurimis vero humida, & venter flatibus distentus. Iis, qui ab atroci hoc malo evadebant, epidermis quinto, vel sexto die per squamas decidebat, quin immo adolescenti tredecim vel quatuordecim annorum tota manus pedumque cuticula exceptis unguibus vero non illico in primo morbi impetu succurrebatur, escarae gangraenosae in fundo faucium versus arcum, & velum palati superveniebant; & ita celeriter proserpebant, ut oesophagum, asperamque arteriam ante occuparent, quam illae percipi, curarique possent.

ac tandem vini, camphorae, corticis peruviani, opii usu cessit, atque disparuit feliciter.

Scar-

---

sent. Quare non pauci e medio tollebantur. Notandum praeterea est, nonnullos hoc morbo affectos quarto vel quinto die non secus periisse, ac si gangraenosa pulmonum inflammatione suffocati essent. Alios post vehemens delirium morientes magnam saniei quantitatem per os, & nares reddidisse; & rubras antea maculas post mortem in quibusdam prorsus violaceas evasisse. Haec porro lues, in infantibus longe mitior, faciliusque remediis obtemperabat "

Et haec sunt scarlatinae nervosae observationes, quae methodum excitantem prorsus poscunt. Ab initio febri inflammatoria corripi videbantur aegroti observationis I.; sed nimiarum evacuationum abusu debilitas directa accedebat, & tunc febris nervosa legitima insurgebat.

In observationibus II., & III. scarlatina evidentissime cum typho epidemice grassabat, quod nostro sub coelo rarissime contingit.

Quae de scarlatinae caussis ferunt Scriptores quamplurimi, ea tam cognita evadunt, ut non quidem verbum hic loci facere existimo. Unice mihi liceat KORTUM observationem Tyronibus tradere, quae non parum ad huius morbi historiam illustrandam confert. „ Quae „ scarlatinam febrim concitat, materiae morbidae insi„ gnis aptitudo inest, glandularum, imprimis colli & „ salivalium tumores, iam in ipso febris decursu, ge„ nerandi, & diu saepe post iam perpessas relinquendi. „ Cum anno 1787. epidemice saeviret febris scarlatina, „ observabam in plurimis, potissimum adultis, non fe„ brim declaratam, sed glandularum colli, parotidum „ &c. tumores phlegmaticos, & porro. ---- Quae vero „ post scarlatinam veram remanebant glandulosae tume„ scentiae, in plerisque casibus prorsus non scrophulo„ sas fuisse, satis apparet, cum ex facili discussione, „ tum si forsan in suppurationem transirent, ulceris fa„ cili & absque mora ut plurimum consolidatione, pror„ sus caeterum exulantibus cachexiae scrophulosae si„ gnis. Ex adultis foeminis frequentius quam viris ta„ les glandularum tumores residuos molestos fuisse,

„ obser-

Scarlatinae nervosae historia (*a*).

Puella Papiensis, 17. annos nata, necdum menstruata, domicilium humidum incolens, per totam hiemem tussi, ac levi faucium phlogosi laboravit. Quindecim abhinc diebus febre prehensa est, quae nullo horrore praecedente, aegrotam ad noctem invadit, & sine comparente sudore derelinquit. Nunquam remediis usa, febre eadem ratione continuante, mane 30. Aprilis, cum febris esset solito fortior, ad Clinicum Institutum delata

---

„ observaverim. Nec non iisdem ii prae aliis mihi pati „ visi sunt, qui quondam affectibus scrophulosis laborabant; quibusque forsan debilitas systematis glandulosi „ atque lymphatici supererat. Neque prorsus deerant, „ haud tamen frequentia exempla, ubi scarlatina pueros „ scrophulosos prehendens posteriorem hunc morbum au- „ ctum & exacerbatum relinqueret “:

Ex relatis nullum remanet dubium, vasa absorbentia hoc in morbo affici. Qua de re Doct. BAVER nuper de scarlatinae morbo agens asseruit, verosimillimum fosse, miasma scropulosum in chronicum & acutum dispeci, atque ab acuto hoc exanthema enasci. Sub febri acuta, aliisque circumstantiis si scrophulosum virus in corpore lateat, ab irritatione febrili evolvitur, & evolutum in acutum miasma febris scarlatinae efformatur, quae diversa caussarum indole, nunc mitior, nunc malignior apparet, & medico plus, minusve spei eius curandae relinquit (BAVER *de scarlatina observationes & meletemata quaedam. Wittebergae 1796. 4.*). Verum quanti haec hypothetica opinio habenda sit, nemo est, qui physiologicis & pathologicis instructus eam persolvere possit. Observatione recta & fida caremus, quae BAVERI opinionem nobis confirmat, eaque deficiente monstruosa exoritur medicina. Curationis methodum quod attinet, iam paucis exposuit clariss. Auctor, semperque medicus diatheseos qualitati prospicere debet (*Editor*).

(*a*) Hanc exaravit D. Med. Doctor. *Henr.* DE COMBES Lausan.

ta est. Mox scarlatina, per omne corpus extensa, elapsa tantum nocte exorta, miliaribus interspersa, in conspectum venit. Fauces quam maxime dolebant, rubebant, tumebant, & impedita multum erat deglutitio. Calor cutis intensus, vomitus, diarrhoea, insignis cephalaea, sese manifestabant. De summa interim virium deiectione conquerebatur aegrota. Linguam albo muco obtectam, pulsum frequentem, sat plenum & mollem in sinistro carpo, paulo debiliorem vero in dextro, observavimus. Aberant tinnitus aurium, convulsiones, aliaque symptomata nervosa. Facile eruebatur, morbum scarlatinam esse; sed febris natura admodum obscura nobis videbatur. Deerant nempe symptomata diathesin astenicam unice satisque certe indicantia, & morbi causae nos nimis latebant. Fassa quidem est aegrota, se aliquo tempore ante morbi accessionem, madefactam fuisse a linteis humidis, quae in capite gestaverat; consideratis interim aegrotantis puellae aetate florente, corporis habitu sat robusto, methodum antiphlogisticam caute tentari posse statuimus.

Applicentur Nro. octo hirudines ad collum.

Bibat frigidum, utatur diaeta vegetabili.

Vespere.

Aegrota peius se habebat. Alvum quinquies deposuerat. Valde auctum invenimus cutis calorem, & frequentiam pulsuum maiorem. Arteria enim 140. ictus in minuto primo exhibebat, & labii inferioris tremor observabatur. Caetera eodem modo se habebant. Nunc, ubi morbi natura magis patebat, ac inflammationem quidem subesse, sed a fe-

febre nervosa circumdatam; nullum supererat dubium; a priori methodo; excitantem amplectentes; mox recessimus.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem.*
Emuls. arab. uncias quatuor.
Haust. narcot. unciam unam.
M.

Cap. omni hora unciam unam.

Porrigantur vini optimi unciae quatuor. Dentur quoque lactis vaccini; quem exoptat; librae duae. Utatur iusculis carneis.

Mane 1. Maii.

Aliquantulum melius se habebat puella. Alvus saepe admodum soluta est. Parum dormivit. Fauces dolebant adhuc, sed minus rubebant: Pulsus ut heri. Repetatur medicina, augeatur vero haustus narcoticus ad uncias tres.

Bibat calide infusum chamomillae: Applicetur cataplasma ex mica panis; & lacte confectum circa collum.

Habeat iusculum cum ovis; & vini albi unciis octo: Seponatur lac vaccinum.

Vespere.

Calorem cutis magnum, pulsus elevatiores, fauces minus dolentes, atque miliaria magis albida invenimus. Alvum non deposuerat.

Re-

Repet. medicina.

Potus excitans praescriptus est ;

Mane 2.

Bene dormivit per integram noctem, aliquomodo soporosa nunc erat aegrota. Alvus clausa. Lingua & labia arida erant & flavescebant ; dolebant adhuc fauces, minus vero tumebant. Pulsus ut heri vespere.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem ;*
Emuls. arab. uncias quatuor ;
Haust. narcot. unciam unam ,
Camph. ras. scrupulum unum .
M.

Capiat ut supra .

℞. *Emuls. amygd. libras duas ;*
Sacch. unciam dimidiam ,
Aq. cinnamom. uncias duas .
M.

Cap. pro potu .

Victus idem. Habeat vini malvatici uncias quatuor .

Vespere .

Paulo melius se habuit aegrota ; pulsus ad 124. ictus redierat. Alvum non deposuit. Lingua erat arida. *Repetatur medicina ; applicetur rubefaciens ad collum .*

Ma-

Mane 3.

Minime noctu dormivit; sed anxia valde fuit. Miliaria fere disparuere. Arteria 108. ictus tantum edebat. Capitis dolor evanuit. Lingua minus sicca. Labia ob ariditatem valde dolebant. Faucium dolor eadem vi prosequebatur. Aegrota cibos appetebat; vinum vero respuebat.

℞. *Emuls. arab. uncias septem,*
Aq. cinnamom. uncias tres,
Haust. narcot. unciam unam.

Capiat more solito. Potus excitans.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias sex,*
Camph. pauxillo spirit. vin. sol. drachmam unam.

M.

Dentur doses tales Nro. VI. pro totidem enematibus.

Diaeta II. cum 4ta parte pulli.

Vespere.

Eodem fere modo se habebat, alvum quater deposuerat.

Continuetur in medicamentis.

Mane 4.

In melius res vergunt. Noctu haud quievit; alvum sexies deposuit. Cutis interim rubor imminutus; pulsus plenus, mollis, adhuc naturali frequen-

quentior, Cephalaea nulla. Dolor faucium nullus superest, & inflammationis vix aliqua vestigia observantur. Miliaria prorsus disparuere. Incipit desquamatio ad faciem.

Repetantur omnia, excepto clystere.

Vespere.

Alvus bis mota. Desquamatio in facie continuat, Lingua humida. *Repetantur omnia.*

Mane 5.

Sat placide quievit, mutatio in melius manifestior. Pulsus vix naturali frequentior. Rubor & calor cutis fere evanuerunt. Fauces minime inflammatae. Brachium dextrum paulum tumet, & admodum sensibile est redditum.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem,*
Emuls. arab. uncias quatuor,
Aq. cinnamom. uncias tres,
Syrup. papav. unciam unam.

M.

Capiat ut supra.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane 6.

Parum quievit. Caetera bene procedebant. Desquamatio nunc ad collum extendebatur.

Repetantur omnia. Suspendatur potus excitans.

Vespere.

Nil novi, brachium vix amplius dolebat.

Continuet.

Mane 7.

Bene valebat. Continuabat desquamatio in facie & ad collum, nulla eius signa aderant in reliquo corpore, cutis sanum colorem iam recuperaverat.

℞. *Decoct. cort. peruviani uncias sex;*
Emuls. arab. uncias quatuor.
M.

Capiat omni biborio uncias duas.

Mane 8.

Perbene se habebat convalescens, quod de die sequente quoque dicas.

Mane 10.

Ob frigus incaute susceptum (quamvis monita, ut ab eodem sibi caveret), aliqua iterum febris cum alvi profluvio suborta est.

℞. *De-*

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem,*
Haust. narcot.,
Syrup. cort. aurant. ana unc. unam.
M.

Mane 11.

Omnia perbene procedebant; quare ad convalescentes missa aegrota, die 3. mensis nosocomium laeta deseruit.



CAPUT VI.

Diarrhoeae & Dysenteriae.

NON male forsitan fecissem, si diarrhoeas eas a se invicem seiunxissem, quae indolis sunt diversae, quaeque contrariam medendi rationem expostulant. Ne tamen nimis augerem capitulorum numerum, uno eodemque loco hunc morbum; uti & dysenteriam ipsam pertractanda statui. Si quae mea in rebus medicis esset auctoritas, diarrhoeas, morbosque universos, in duas omnino classes dividerem, & separarem; quarum una cunctos, qui e *totius systematis*, altera omnes, qui a *locali affectione* generantur, contineret, atque distinctis limitibus circumscriberet: Divisio haec, quanti momenti sit, vix dici potest, atque de ea persuasum me teneo, quod medicus, qui illam ignoret vel negligat, vel iustam satis diagnosin, vel certam prognosin formare vix queat. Diarrhoea enim illa, quae ex totius systematis labefactatione originem ducit, a caussis super inte-

gram machinam agentibus producitur, atque ut plurimum remediis illis, quae universum systema afficiunt, tollitur. Diarrhoea contra, cui locale quoddam vitium ansam dedit, auxilio locali indiget; si vero hoc ipsum non ferat, ab arte sanari haud potest. Qua de re, antequam ego diarrhoeam, vel morbum alium quemcunque curandum aggrediar, constanter prae omnibus statuendum mihi censeo, morbusne sit *communis*, vel quod idem sonat, *universalis*, vel *localem* an indolem teneat? Quando igitur, instituto examine, aegritudinem ex totius systematis vitio natam esse constat, protinus alteram duplicem quaestionem instituere pro more habeo: an scilicet morbus inflammatorius (*sthenicus*) sit, aut an nervosus (*asthenicus*) & dein, an vires vitales valde auctae, depressaeve iudicari debeant? Contrario demum casu, id est, cognita *locali* aegritudinis natura, sedulo semper examinare consuevi: utrum morbus iam ab initio talis fuerit, vel cursu temporis, affectione communi neglecta, aut male curata, sit ortus? Sedem mali denique, ac eiusdem effectus, clare atque maiori studio determinare, duce imprimis eximio MORGAGNI (*a*) opere, attentus sum (*).

Cli-

(*a*) *De sedibus & caussis morborum*.

(*) Innumerae caussae diarrhoeam excitantes occurrunt. Medici enim, qui in caussas morborum attentius inquirunt, qui victus animalis & vegetabilis differentiam, potus aquosi, frigidi & calidi, nec non spirituosi varietatem, ipsasque alimentorum & potulentorum praeparationes & effectus, in corpore inde oriundos, studiosius examinant, de *opportunitate* ad diarrhoeam vel dysenteriam facile certiores reddentur, morbumque simul bene tractabunt. Si nullum existat in intestinis, vel in abdomi-

Clinicum Institutum aegrotantes tres cum diarrhoea, a totius systematis debilitate orta, ingressi sunt; quorum historias lubens praetereo; quum parum; aut nihil attentione dignum subministrent,

---

mine, organicum vitium, cuius historias apud LIEUTAUDIUM & MORGAGNIUM invenire quisquis potest, ad vivendi, ut dixi, genus aegrotanti familiare, medicus suam vertet attentionem, viresque stomachi, intestinorumque, nec non qualitatem diatheseos in universo corpore regnantem sedulo examinabit. Nimis prolixus forem, si universa diatheseos tum sthenicae tum asthenicae signa hic loci referre vellem. Hodierno artis medicae studio haec unicuique Tyroni innotescunt, supervacaneumque existimo hoc de argumento fusius agere; praesertim quod hoc instituti mei ratio non expostulat. Sufficiet itaque; si ad examen *opportunitatis* ad diarrhoeam, vel ad dysenteriam & laxitatem intestinorum cum saburra pituitosa, & siccitatem eorumdem, cum scybalis duris & immobilibus coniunctam referam, quibus praesentibus alimentosae etiam substantiae diarrhoeam gignere possunt. Sed laxitatem & siccitatem intestinorum diatheseos regnantis effectus utplurimum esse, quotidiana docet experientia. Quae vero ex fluxus intestinalis opportunitate, diarrhoeam ipsam, vel dysenteriam gignente, paucis dicam. In laxitate intestinorum nostro nunc tempore adeo frequenti, & hisce diebus per Ticini urbem & vicinia epidemice fere grassanti, ad potum aquosum ex solis radiis nimis calefactum, vel, in divitum ordine, ad potum aquosum nimis gelidum, qui magna copia ingurgitatur, praecipue respiciendum est: eodem enim stimulorum actio augetur in illis, imminuitur in istis; fibrae relaxantur, digestio depravatur, omnesque corporis humani functiones plus minusve invertuntur. Exoritur hinc imprimis ad debilitatem indirectam, in alteris ad debilitatem directam proclivitas, quae tandem accedit, si caussae iam relatae non arcentur. Altera dispositio morbosa, praecedenti ex parte contraria, est siccitas intestinorum, quae quidem, dum scybala dura & exsucca reddit, magis ad obstructiones alvinas disponit, quibus saepe homines in sano de reliquo statu male afficiun-

neque Lectoribus difficile esse putem, methodum, qua sanati sint, vel sponte perspicere, si eorum, quae de febrium nervosarum curatione dixi, meminerint. De illis hinc aegrotantibus solummodo, qui

---

ciuntur, variisque vitae incommodis vexantur, in morbis vero, & imprimis in febribus, maxime anguntur. Naturalis motus peristaltici lentor in crassis intestinis hinc remorae prae aliis favet: cum enim digesta alimenta lentius exsugenda essent, quo omnis materia, nutritioni apta, inde educeretur, & a vasis bibulis resorberetur, viae longitudo & lentior motus omnino requiri videbantur, quibus tamen remora excrementorum nonnunquam inducitur. Porro & coeci intestini situs, & zonae coli tractus satis declarant, scybala exsiccata non nisi viribus auctis ulterius urgeri posse, quae vires ab abdominalibus musculis & diaphragmate potissimum expectandae, saepius & praecipue in vita sedentaria deficiunt. Tandem & coli fabricae attendendum est; in hoc enim intestino cavernulae in interstitiis ligamentorum canalem firmantium effictae, ipsis faecibus remoram concedunt, per quam exsiccantur ita, ut non raro liquida excrementa per hunc canalem transire possint, crassioribus aliis a latere relictis. Cum vero ea ratione moles scybalorum augeatur, stimulo & pondere saepius molesta sit, humores etiam ad canalem alimentorum alliciat, & in corpore aegroto, utpote magis sensibili, tensiones abdominis, tumores hypochondriorum producit, saburram copiosam subito movet, & diarrhoeam molestam concitat. Ex hac caussa tumores steatomatosos intestinorum praecipue oriri censeo, qui diarrhoeae nullis subsidiis coercendae & toto vitae curriculo sociae, originem praebent. Sed altera adest diarrhoeae caussa, quae saepe saepius in hominibus vel foeminis irritabilibus locum habet. Quantum imperium animi pathemata in totum corpus humanum, nervorum ope, exerceant, nemo est, qui inficiabitur. Ab aliis quam maxime acceleratur oculi nictu citius sanguinis circulatio, hinc perperam excitantia vocari solent gaudium, amor, ira &c. Experientia enim notum est, quod pro variis hisce animi pathematibus, a diarrhoea suborta mox salubres, mox funesti

qui alvi profluvio, a vitio quodam locali ortum trahente cruciabantur, mentionem nunc iniiciam, ut quorum duos tantum suscepimus. Ex his unum, utpote incurabilem, ne lectulum, Iuvenum institutioni dicatum, nimis diu occuparet, ad suos mandavimus; alterum vero, quippe morti proximum, retinuimus. En eiusdem morbi historiam, adiecta simul cadaveris sectione.

Diarrhoeae ex locali affectione historia.

Ioannes Antonius Cassinera, agricola, per viginti quinque vitae annos nulla se unquam morbosa affectione correptum fuisse, refert. At vigesimo sexto post continuos labores a febre correptus fuit, nunc per aliquot dies silente, nunc rursus insurgente. Haec per annum & amplius, nullo interim ordine observato, pertinaciter duravit. Accesserat iam a morbi initio magna admodum diarrhoea, quae tamen minime cum febre siluit, sed per biennium, minimis temporis spatiis interpositis, quietem concedens, aegrotantis vires magis magisque infregit. Quem statum morbosum a rusticis laboribus continuis repetens aeger, hisce omnino valedixit, & octo ante annos, peiori adhuc consilio, hac in urbe operam suam dedit colorum tractationi in officina, in qua vasa ex

---

sti observari soleant effectus. Sic diarrhoea irae si supervenit, bonum esse saepius observavit BAGLIVIUS. Plures huius generis observationes reperiuntur apud VALLE (*Saggio sulle malattie croniche*. *Pavia* 1792. 8.). Millenas numerat SAUVAGESIUS diarrhoeae caussas, verum quamplures tanquam diatheseos effectus medicus sagacissimus eas facillime respiciet. (*Editor*).

argilla construuntur. Haec loci vitaeque generis diversitas nullam induxit in aegri corpore mutationem, quae scilicet hanc ad diarrhoeam proclivitatem tolleret. Idem hinc fluxus eadem ratione continuabat. Nihilominus a tribus iam mensibus de sua salute minime conquerebatur, cum fluxus nunc supprimi videretur, immo aliquá alvi durities successisset. Paucis vero abhinc diebus, insolita quaedam corporis lassitudo, ac fastidium laboris sese prodiderunt, in quorum rationem ipsemet aeger frustra inquirebat. Tandem die 23. Februarii ad vesperas intensum frigus insurgit, integram per noctem continuatum, cui calor succedit, vi aegrum aequali afficiens. A primo iam istorum ingressu, consuetus aegro fluxus redivit, sub quo faeces liquidae, flavescentes, non sanguineae, vigesies & ultra per diem, aliquibus cum abdominis torminibus, non tamen continuis, & absque tenesmo emittebantur. Haec omnia per tres dies continuant, immo exacerbantur, quibus peractis, nosocomio mane 26. Februarii committitur aeger, ubi decoctum corticis peruviani, cum extracto corticis eiusdem, & laudani liquidi SYDENHAMI guttae XXX. porriguntur. Ad vesperas vero nostris observationibus traditus sequentia exhibet adnotanda. Febris continuat cum pulsu exiguo & frequente, cutis calor naturali maior, carnes laxae cum aliqua cutis siccitate, debilitas magna, facies pallet, oculi languent, genae collapsae, capitis dolor urget, deest aurium tinnitus. Aeger conqueritur etiam de oris amarore, de summa ciborum aversione, & nausea, absque vomitu. Lingua albo muco obtecta est, ac sitis, aqua frigida minime sedanda, miserum molestat. Abdomen non omnino tractabile, sub attactu tamen non dolet. Dolores hinc inde persentit aeger, praecipue faecum excretione ap-
pro-

propinquante. Alvi fluxus absque tenesmo continuat.

Caussae huius morbi ex ipsius aegri confessione sunt assidui labores antehac peracti, nunc cum vita sedentaria commutati, habitatio frigida ac humida; victus vegetabilis, tenuis, vini fere defectus, ac plumbi vapores. Difficile nobis erat mox huius morbi, discrimine pleni, diagnosin pronunciare. Febris videbatur nervosae indolis esse: saltem sic docebant caussae, quae illam produxerant, atque aegrotantis constitutio. Diarrhoea vero, quum ipsa iam ab undecim fere annis persistat, probabili ratione a vitio quodam locali, haud facile determinando, originem trahit, immo ipsa febris forsitan eiusdem effectum constituit. Ne tamen aegrotus omnibus auxiliis destitutus sibi ipsi committeretur, atque ut vita, quantum id per nos liceret, servaretur diutius, dolorumque minueretur intensitas, sequentem methodum arripuimus.

℞. *Decoct. cort. peruv. uncias novem:*
Emuls. arab.,
Haust. narcot. ana uncias duas.
M.

Capiat omni hora unciam unam.

Potus excitans.

Alimenta ex iusculis carneis, ovis, ac vini optimi libra una sunto.

Mane 27.

Nox, alias ob dolores valde inquieta, placida fuit. Vix quater alvum deposuit, dolores abdominis

nis sub faecum evacuatione imminuti, pulsus elevatiores, sed adhuc frequentes, capitis dolor minor, caetera symptomata mitius continuant.

Repetatur medicina, cui adde
Extract. cort. peruv. unciam dimidiam.

Diaeta eadem, cum vini libris duabus.

Vespere.

Quater alvum deposuit, cruciatus abdominis disparuerunt; pulsus frequentes & elatiores conservantur; sitis continuat; caetera symptomata meliora fiunt; ingratam sensationem ad ventriculi regionem post assumptum aut cibum, aut ingestam medicinam accusat: ab aqua tussis hinc inde excitatur.

Repetatur medicina. Augeatur haustus narcoticus ad uncias quatuor.

Mane 28.

Nox inquieta, sexies alvum deposuit, dolores abdominis non persentiuntur, sed continuat ponderis sensus ad scrobiculum cordis, dolorem non exiguum aliquando excitans. Tussis frequentius renovatur, sub qua materies flava evomitur.

Repetantur medicina, aliaque.

Vespere.

Eodem modo res incedit. Alvus sexies laxata.

Repetantur omnia.

Ma-

Mane 1. Martii.

Res in peius ruunt. Pulsus parvi, frequentes; Oppressionis sensus ad scrobiculum cordis continuat, qui sub tussi in dolorem vertitur. Bis sub ipsa tussi, amara acida, ac viridescentia vomitu reiecit. Diarrhoea continuat. Ructus foetentes, putridi; tremores artuum, atque horripilationes miserum cruciant.

℞. *Emuls. arab. uncias septem,*
Haust. narcot. uncias tres,
Mosch. opt. scrupulum unum.
M.

Capiat omni quadrante horae unciam unam. Habeat vini malvatici uncias septem. Applicentur duo rubefacientia ad brachia.

Vespere.

Per totam diem nunc vomitus, nunc alvi deiectio aegrotum vexarunt, anxietas augetur, pondus ad ventriculum continuat. Ab attactu abdomen nunc aliquomodo dolore afficitur. Facies hippocratica, corpus indecore per lectum iactatur.

℞. *Mosch. opt. grana quatuor.*
Fiat cum extract. cort. peruv. s. q. bolus.

Dentur doses tales Nro. X. Capiat omni hora unam.

Iniiciatur omni biborio clyster ex camphora & emulsione arabica.

Ver-

Versus dimidiam noctem ; sub vomitu & stertore ; vivere cessavit.

Cadaveris sectio.

Aperto abdomine, *vesica* urinaria apparet distenta, ad regionem umbilici usque perveniens, quin unquam in morbi decursu suspicio insurgeret de urinae retentione, quum neque difficultatem in eadem emittenda accusaret aegrotus, neque dolores ad vesicae regionem persentiret, neque tumor ad hypogastrium appareret, qui vesicae praeternaturalem distensionem ostenderet. Superficies interna atque externa vesicae nullum inflammationis, vel gangraenae signum ostendit.

Intestina tum *tenuia* ; tum *crassa* exterius naturalem colorem servant; *omentum* magnum, sed sanum; *ventriculus* exterius magnitudinem naturalem, & colorem ostendit, *lien* parvus; *hepar* magnum, aliquibus in locis ita laxum ac friabile, ut vix manibus contrectatum disrumperetur; *cystis fellea* bile repleta, absque calculis. Aperto ventriculo cum intestinis tenuibus, nec inflammationem ; nec gangraenae vestigia hic loci invenimus ; a materia ex flavo-viridescente intestinorum superficiem internam obductam conspeximus. *Caecum*, *colon* ascendens atque transversum, vix a naturali statu aberrant. *Colon* descendens appendicibus oblongis, complanatis ; ex sebacea materia compositis, undique obvallatum, qui appendices magis magisque adaugentur tum numero, tum magnitudine, quo magis colon ad rectum appropinquatur. Intestinum vero rectum a crasso ac duro steatomate circumdatur, quod inferiorem pelvis locum tenens, vesicam superiorem in partem coegit. Adeo vero rectum intestinum ab hoc maximo tumore comprime-

mebatur, ut lumen illius calamum scriptorium vix admitteret (*).

In thorace omnia secundum naturam.

Ioan. NICOLINI *Mediolanensis*
M. D.

Quatuor aegrotantes, dysenteria affecti, in Instituto Clinico pertractandi mihi obvenerunt: qui singuli maxima cum celeritate sanitati restituti fuerunt. Etsi quidem certus sim, dysenteriam non semper eiusdem esse indolis, atque hinc inde antiphlogistica auxilia exposcere, nihilominus quisque mecum fateatur necesse est, febrem, quae ipsam comitatur, utplurimum naturae nervosae esse (**). Caussae enim, quae dysenteriam procreare solent, vix non omnes debilitando agunt; atque symptomata, quae dirus hicce morbus ob oculos ponit, principii vitalis labefactationem ultra demonstrant. Inter horum symptomatum cohortem, signa gastrica sic dicta primum fere locum tenent: qua de caussa non pauci medicorum ad evacuantia

---

(*) Apud LIEUTAUDIUM, & praecipue apud MORGAGNIUM (*De caussis & sedibus morborum &c. Epistola XXXI.*) multa huius generis referuntur exempla, ex quibus nonnulla consideratu dignissima (*Edit.*).

(**) Dysenteriae phlogisticae, seu cum febri inflammatoria, exempla nonnulla in hominibus bene pastis hoc anno habui, & methodo prorsus antiphlogistica in usum vocata, celeriter aegrotantes ad convalescentiam restitui. Caeterum dysenteria phlogistica non tam rara est, uti opinatur, saltem sub morbi initio; tractu vero temporis sub repetitis evacuationibus dysenteria in nervosam mutatur (*Editor.*).

cia confugiunt, quae certe & hoc in morbo non raro exitialia sunt. Infelix experientia hanc sententiam nimis comprobat. A sano iudicio sine dubio alienum est, curationem alvi profluvii, quod in dysenteria nervosa insignem totius machinae debilitatem procreat, cum remediis purgantibus aggredi, quae, debilitati debilitatem addendo, aegrotos ad orcum celeri passu conducunt. Quodsi medici considerarent, aegrotos vix non constanter ante ingressum dysenteriae, cibos minus solito, apparet, immo ipsos fere semper adversari; si ingentem copiam humorum ac sanguinis, quae sub adeo repetitis, licet parum copiosis deiectionibus, amittitur, rite animo perpenderent; tunc certe non tam facile huius morbi originem, vix non ubique in colluvie gastrica quaererent, neque superstitem vitae partem emeticis, atque catharcticis dilapidarent. Adde, quod, cum dysenteria saepe saepius comitem sic dictam febrem putridam agnoscat; vel, ut melius loquar, quum ipsa dysenteria frequentius nil aliud sit quam febris nervosa, cui alvi profluvium sese adsociavit; iidem prorsus errores, qui in typho circa victus rationem committuntur, isthoc quoque in morbo locum inveniant. Dysentericis hinc animam agentibus, a non paucis practicis iuscula carnea, ova aliaque ex regno animali petita alimenta serio prohibentur, concessis contra lubenter fructibus horaeis, subacidis, caeterisque sic dictis antisepticis, quae singula, testante quotidiana experientia, ad promovendam potius dysenteriam, quam ad reprimendam plerumque valent.

Ego vero hunc morbum, dummodo non inflammatorium, methodo contra febres nervosas commendata, pertractare soleo. *Opium* hac in morbi specie a SYDENHAMO, RAMAZZINI aliisque tanto cum successu adhibitum, caeteris remediis singulis

an-

anteponendum arbitror. *Emulsionem* vero *arabicam* eidem superaddo, quae intestinis adeo sensibilibus, atque stimulo perferendo tam imparibus, quam maxime conducit. Necesse interim est, opium cum aliis pharmacis, actione minus fugaci praeditis, coniungi. Neglecta enim hac regula, breve levamen obtineas: quum paulo post fluxus dysentericus nova, immo maiori vi, prorumpat. Methodus ista tanta felicitate nuper a celeb. Professore *Antonio* SCARPA in duobus aegris, qui in Instituto Clinico chirurgico degebant, adhibita est, ut gravissimam dysenteriam quadraginta horarum spatio penitus depelleret. Ego ipse in nosocomio Ticinensi, aestate ac autumno vix elapsis, magnum dysentericorum graviter aegrotantium numerum, tanto cum successu, ac peculiari felicitate pertractavi, ut nec unum quidem ex iisdem amiserim. Ibidem tunc temporis aegroti curationem suscepi, qui praeter consueta dysenteriae symptomata, frigore extremitatum, vomitu, atque singultu cruciabatur. Exhibito moscho ad grana centum octoginta in die, simul cum opio, porrecto vino, ac concessis iusculis carneis, aegrotus decem dierum spatio a dysenteria liberatus fuit. Per mensem tamen febris quaedam lenta nervosa remansit, quae demum quoque sub remediorum excitantium usu integre disparuit (*).

Aegro-

(*) Praeter moschum, opium, aliaque remedia excitantia, maximam ex decocto saturo simarubae utilitatem pluries obtinui. Caveant tamen medici ex nimio stimulantium usu, cuius actio maiorem aegrotantibus noxam inferre potest. Si dolores acuti atque tenesmus vexent, admoveantur clysmata ex remediis leniter stimulantibus composita. Emulsio arabica cum decocti corti-

Aegroti, qui hoc anno scholastico in Clinicum dysenteria laborantes suscepti fuere, certe non tam graviter decumbebant, ac illi, de quibus modo locutus sum. Quare unicam historiam attulisse sufficiet.

HISTORIA.

Vir triginta circiter annorum, aegrotantium custodis in Clinico Chirurgico munus exercens, iam octo abhinc diebus incepit faeces solito liquidiores deponere. Brevi temporis spatio praeterlapso, fluxus iste adeo augetur, ut omnia fere dysenteriae symptomata ostenderet. Faeces enim saepissime, pauca copia, quotidie deponit cum tenesmo, ac abdominis diris cruciatibus; materiae per alvum evacuatae cruori non sunt mixtae. Sexta huius morbi die, accessit quoque febris ad hanc usque horam perdurans, qua in Clinicum Institutum se deferri curavit aeger, & sequentia manifestavit. Aderant, praeter iam enarrata, cephalaea, oris amaror, appetitus deiectus, calor cutis auctus, ac pulsus debiles, atque frequentes. Caussae morbi huius videbantur esse vigiliae, frigus nocturno tempore admissum, & forsitan contagium. Omnibus

---

ticis peruviani leviori dosi, vel herba malvae, altheae, flores sambuci, chamomillae in lacte simul cocti, admixta portione olei vel liliorum alborum, vel olei chamomillae, vel tincturae thebaicae, hic saepe conducunt. Eiusdem generis fomenta ventri applicentur. Finito morbo primae viae roborandae extracto corticis aurantiorum, vel gentianae, vel trifolii &c. Infusum corticis china-chinae, cascarillae cum aqua cinnamomi &c. etiam continuandum, donec intestinis & stomacho pristinus reddatur vigor (*Editor*).

bus rite perpensis, morbum pro dysenteria nervosa leviori declaravimus, ac sequentia praescripsimus.

Mane 13. Maii

℞. *Decocti corticis peruv. uncias novem,*
Emulsionis arabicae uncias quatuor,
Haustus narcotici uncias duas.
M.

Cap. omni hora unciam unam.

Illiniatur cum linimento volatili abdomen.

Diaeta III. cum vini libris duabus.

Mane 19.

Duodecies elapsa nocte alvum deposuit cum tenesmo, ac diris abdominis cruciatibus. Febris aucta, pulsus frequentiores, ac pleniores.

Repetatur medicina, cui adde:

Extract. corticis peruv. drachmas duas.
Auge quoque haustum narcoticum ad uncias tres.

Repet. caetera.

Vespere.

Pulsus, & cutis calorem fere naturales invenimus. Semel tantum alvum deposuit. Ventris dolores imminuti fuere.

Repet. omnia.

Mane 20.

Convalescentem dicere possumus aegrotantem. Nulla cephalaea, appetitus viget, lingua nitida, os non amplius amarum, alvus semel aperta, uno verbo disparuit morbus. Mansit adhuc per quinque dies in Clinico Instituto; ac dein prorsus a morbo restitutus, domum petiit suam.

Amat. BUZZI *Novocomensis.*



CAPUT VII.

Uteri haemorrhagiae.

Si aegrotum haemoptoicum, alterumque mictu cruento affectum, quorum historiae nil memoratu dignum continent, excipiam; nullae aliae haemorrhagiae, praeter quinque menorrhaeas, hoc in Clinico Instituto pertractatae fuere. Cum vero morborum, a quibus quinque illae foeminae afficiebantur, historiae paulo longiores sint, silentio illas praeterire mihi liceat. Duae ex istis aegrotantes prorsus sanatae domum petierunt, reliquas vero tres, longe meliori sub rerum statu, e Clinico, ob morbi nimiam durationem, dimisimus.

Antequam menorrhaeae curationem inciperem, constanter binas illas quaestiones, uti caeteris in casibus, ita in hac quoque morbi specie, mihi ipsi proponendas esse arbitratus sum, scilicet: num morbus *universalis*, vel *localis* sit? Primo in casu, sedulo, an sthenicam, aut asthenicam diathe-

thesin ostendat, examinavi? Ubi localem menorrhaea caussam, in vitio organico, agnoscit, vix ea, aut ne vix quidem sanari potest. Tunc enim integra curatio in vitio locali auferendo consistit; id quod saepissime medicam scientiam, artemque omnem prorsus superat. Qui rebus ita sese habentibus, curam mali remediis internis susciperet medicus, incassum ille, immo non sine aegrotantis damno, id faceret. Scio tamen, a nonnullis practicis in menorrhaea a caussa locali nata, per integros annos sic dicta remedia adstringentia praescripta fuisse: ignorabant enim, hic omnem ab auxiliis topicis curationem expectari debere. Alio longe modo morbus hic pertractandus est, cum a totius systematis labefactatione propullulat. Hoc in casu auxilia topica vix pro momento levamen afferunt, quod magis constans, ope remediorum, quae in corpus universum agunt, longeque certius obtineas. Solemnis est CULLENII (a) divisio menorrhaeae in *activam* & *passivam*, atque medico practico pernecessaria. Fateri tamen oportet; uteri haemorrhagias activas, si quasdam ex acutis excipias, esse avem rarissimam. Foeminae enim, quae huic morbo subiiciuntur, tam longe absunt a virium vitalium superabundantia, ut contra fere omnia debilitatis signa observatoribus offerant. Sanguinis ex utero fluxus chronicus fere constanter a totius systematis imbecillitate praemagna annunciatur: ei praecedit anorexia, quae facit, ut miserae aegre cibum assumant, & assumptum male subigant. Accedunt pulsus ut plurimum frequentes ac parvi, debilitatis testes. Caussae ipsae,

---

(a) Nosolog.

quae hunc morbum generant, vires corporis fere singulae imminuere solent. Neque enim habitatione humida, ciborum inopia, pathematibus animi deprimentibus, spirituosorum defectu, aliisque similibus, vim vitalem, erit qui dicet, augeri. Minime interim ignoro, menorrhoeam saepe saepius a caussis maximo cum stimulo agentibus produci, quae tamen observatio sententiam allatam haud infringit. Constat enim stimulos, qui summa cum intensione agunt, debilitatem generare. Sic ciborum nimia copia ventriculi corporisque vires eadem ratione, qua illorum inopia, frangit; calorque nimius, aeque ac frigus; summam debilitatem, immo ipsam adeo grangraenam adducit. Idem de nimio motu, quiete, animique pathematibus dicas. Ira levis vim musculorum, animique energiam manifesto auget; deprimit contra quammaxime ira vehemens, quae tot homines ob haemorrhagiam subsequentem morti dedit. A plethora igitur ac virium vitalium superabundantia rarissime haemorrhagias uteri produci, pro certo habeo. Nimiam sanguinis copiam tamen interdum menorrheam generare posse, concedam: quum vasa ultra modum illa distendat & ob stimulum praegrandem laxitatem in istis producat. Sthenicas quoque interdum esse haemorrhagias, hoc illorum in phlogoses transitus, evidenter docet. Sed responderi mihi velim quaerenti, an mansura sit adhucdum, elapso mense, plethora seu sthenica illa diathesis, postquam scilicet aegrota maximam jam primis morbi diebus sanguinis amiserit copiam? An superstes sit eadem, quum medicus, uti mos est, venaesectiones tot instituerit, quot mihi quidem ad plures peripneumonias sanandas sufficerent? An reliqua esse haec cruoris copia possit; si aegrota uti e more est vulgo medicorum, vegetabilibus iubeatur vesci,

quae

quae sanguinis copiam parum augere valent? Ego quidem lubens fateor, me nullo modo hucusque intelligere potuisse, quamnam sanguinis officinam statuant medici, qui in hisce morbis de plethora cogitant. Quod de menorrhoea dixi, idem omnino de reliquis haemorrhagiis quoque valet.

Pauca nunc de medendi methodo, quam contra haemorrhagias, & praesertim contra menorrhoeam adhibuerim. Quando sanguis ob nimium stimulum, ac ob machinae animalis vires superabundantes ex aliqua parte stillat, tum certe & ego antiphlogistica remedia, excepta tamen venae sectione (in illis saltem haemorrhagiis, quae pulmones, ac viscera interna alia haud respiciunt), in usum vocare soleo. Neque enim ulla res magis contraria & a sano iudicio aliena mihi videtur, quam sanguinis fluxum, ubi ex eius in partes vicinas egressu ac stagnatione timendum nihil est, artificiali cruoris evacuatione sanare velle. Nam, si haemorrhagia a plethora revera pendet, sine, quaeso, ut, sub dicta restrictione, nimia sanguinis copia effluat! Quo facto, cessabit sua sponte fluxus, quum effectus sublata caussa constanter tollatur. At si cruoris iactura a debilitate pendet, quis venae sectionem aut ominosam, aut internecinam esse debere, non videt?

Quinque foeminas, quae haemorrhagia uteri affectae apud nos degebant, cum methodo excitante pertractavi, quum morbus nec a caussa locali, nec a diathesi phlogistica oriretur. Hinc iisdem remediis sum usus, quae contra febres nervosas commendavi. Instante periculo, sub ipso sanguinis fluxu, *opium*, *moschum*, *aetherem*, aliaque huius naturae remedia praescripsi. Imminuto ab illis discrimine, ac profligata haemorrhagia, mox ad pharmaca minus vehementer stimulantia, sed quae vim permanentem possident, progressus sum;

nempe ad peruvianum corticem, ad martialia &c. Omnem fidem praeter haec auxilia in victum animalem, atque in vini modicum usum reposui.

In nullius morbi curatione interim tam caute remedia excitantia praescribenda sunt, quam in haemorrhagiis. Corpus enim, quod plurimum sanguinis amisit, valde sensibile, vel alio verbo, excitabile est. Hac de caussa parum stimuli recipit, & a maiore obruitur. Excitantia itaque minima dosi, unica vice porrecta, salutarem actionem facilius edunt, ac caussam morbi, debilitatem scilicet, tollunt. Si vero magna copia remedia huius indolis porrigantur, contrarius prorsus effectus sequitur: debilitas nimirum augetur, ac nova, vix sedanda, haemorrhagia in conspectum prodit (*).

Hoc

(*) Praeter menorrhagiarum divisionem in *activas* & *passivas*, altera sequitur divisio, quam Medicus magni facere debet. Sanguinis ex utero profluvium cum detrimento sanitatis coniunctum omni quovis tempore ac vitae aetate evenire potest: verum frequentius in foeminis sequentes notantur species: *menstrua nimia*, *haemorrhagia uteri tempore graviditatis*, *haemorrhagia uteri sub partu*, *haemorrhagia uteri post partum*. Non facile medicus determinare potest copiam sanguinis naturalis, quae per menstrua excernitur. Maiori copia ad libram & ultra in regionibus calidis, in frigidis vero ab unciis tribus ad uncias sex fluere, tradidit summus HALLERUS. Plus sanguinis amittunt foeminae laute viventes, vitam sedentariam, otiosam degentes, libidinosae, & quibus corporis habitus gracilis est; minus vero quae corpus magis exercent, & durioris uteri sunt. Plurium Auctorum sententias de copia mensium naturali disserentes, hic afferre supervacaneum censeo. Plerumque a tribus ad sex & octo dies menses fluunt. Dantur vero exempla, uti extat apud GULBRAND, foeminarum, quibus singuli fluxus uteri cruenti periodi decimoquarto quo-

vis

Hoc loco necesse est, ut difficultatem circa *martialia* in morbo, de quo agitur, adhibenda, aliquando mihi ab aliis obiectam paucis diluam. Qua ratione tu quidem, inquiunt, in haemorrha-

---

vis die, vel citius redeunt, sine ulla sanitatis laesione. Ex relatis facile intelligitur, non ex sanguinis amissi quantitate de uteri haemorrhagia diiudicandum fore. Unica symptomata sanguinis effluxum concomitantia perpendenda sunt, & ex his diagnosis efformanda. Nimia hinc menstrua erunt, & haemorrhagiae uteri nomen assument, si ab eorum excretione sanitas detrimentum capiat, functionesque vitae necessariae magis, minusve laedantur. ---- De haemorrhagia uteri graviditatis tempore, sub partu, & post partum disserere hic locus non est; nonnulla tantummodo afferam, quae omnibus harum haemorrhagiarum speciebus communia videntur. Omne sanguinis profluvium ex genitalibus plerumque sequentes in aegrotante edit effectus. Iuxta profluvii maiorem, vel minorem vehementiam totius corporis debilitas maior, vel minor: pallor faciei, extremorum frigus: circulatio languens: pulsus parvus, debilis, tardus, nonnunquam intermittens: anhelatio, anxietas, animi deliquium, lipothymia, convulsio, tandem mors. Appetitus prosternitur, digestio, chylificatio & nutritio depravantur, inducitur exinde mox cachexia, generantur viscerum obstructiones, corpus consumitur, tument pedes, & denique aut tabes, aut hydrops vitae finem faciunt. Quo frequentior uteri haemorrhagia, eo maior fit ad eam dispositio, cuius rei veritatem frequenter satis superque infausta experientia probavit. Saepius quoque accidit, ut illa uteri debilitas partialis fluori albo pertinacissimo occasionem dederit. Uteri profluviis sanguineis praedispositae sunt foeminae, quae habitu corporis tenero, nervoso, systemate debili, incitabilitate magna praeditae sunt. Haec omnia vero luce meridiana clarius ostendunt, debilitatem directam hac in affectione ut plurimum locum habere: hinc recte Samuel LINCH in Tabula morborum principiis BRUNONIS digestorum (Vid. *Biblioteca medica Brownniana pubblicata dal Dott. Luigi* FRANK *Volume II.*) eam sub morbo-

gia uteri, martialia praescriberes? bone Deus! Ignorasne forsitan virtute emenagoga martem pollere? Egregie sane in materiae medicae sic dicta studio versatos eiusmodi adversarios dixerim, qua scilicet in medicae scientiae parte, hanc usque in diem remediorum divisio plane absurda in *emenagoga*, in *expectorantia* &c. toleratur. Respondi facili negotio, me nulli pharmaco emenagogam vim tribuere, & confidenter asserui, martialia nunc uteri profluvium sanguineum promovere, quando sanguis ob debilitatem retinetur; nunc vero arcere, si eam ipsam ob caussam nimia cruoris copia deperditur.

Alia difficultas, longe maioris momenti, ultimo loco solvenda superest. Quum de morborum phlogisticorum curatione verba facerem, ingenue me frigori debilitantem potestatem tribuere declaravi. Contra hanc BRUNONIS sententiam novissimam, quae nuperrime a celeb. WEICKARDO, nec non a me ipso, maioribus argumentis firmata fuit, nonnulli medici insurrexere. Argumentis, quae singuli afferunt, hoc loco respondere haud

---

borum ordine reduxit, in quo incitabilitatis gradus 55., stimulorumque vero 25 tantummodo sunt. Quo ad saluberrima hoc in profluvio uterino cruento eligenda remedia, iam praecepta a clar. Auctore nostro supra indicata valent; nempe excitantibus minima dosi porrectis pristina reditur salus. Vitanda hic sunt, quae nimis irritant, uti spirituosa & aromatica. Aer aegram circumdans temperatus sit; stragulis levioribus utatur, & vestimentis solvatur infelix. Ab omni vociferatione abstineatur oportet. Resupinanda foemina, & ut nonnulli volunt cum pelvi elevata: situs enim horizontalis vires languescentes optime sustentat, & sanguinis effluxum ex vulva impedit, dum trombi generantur, & via effluenti sanguini praecluditur (*Edit.*).

haud licet, quod quidem alia occasione iam fusius feci (*a*). Uni hic respondisse sufficiat. Si frigus debilitaret (aiunt BRUNONIS adversarii), quomodo, ope glaciei iterum saepiusve haemorrhagiae *passivae* supprimerentur? Pro facto, frigus hasce haemorrhagias arcere, admittam, licet contrarium ego ipse viderim. In ex-monacha Ticinensi, magnum uteri profluvium cruentum, post balneorum frigidorum usum ortum esse observavi. Septem circiter abhinc annis *Epistasin* hoc ipso in Clinico Instituto vidi, qua aegrotans scorbuticus afficiebatur. Adhibita glacie, haemorrhagia quam maxime augebatur, mox vero sub remediorum excitantium usu silebat. Sed aliorum observationes sacrae sunto. Si in medio cursu, vel tripudia inter & saltationes (dummodo diathesis sthenica necdum in debilitatem indirectam conversa sit) oriatur haemorrhagia, facile est unicuique intelligere, frigus illam sedare posse; nullo alio tamen modo, quam superabundantiam stimuli imminuendo. Idem dicas de nimio calore, de vini abusu &c. Hae tamen observationes tantum absunt, ut roborantem frigoris vim comprobent, ut prorsus contrariam declarent. Quaestio igitur circa illas haemorrhagias unice se vertit, quae minime ab excessu stimuli, sed ab ipsius defectu generantur. Nam & in hoc casu, sunt, qui fomentationes frigidas suadeant; utrum bene? alia est quaestio. Sed sinamus etiam hoc in casu sanguinis fluxum, e debilitate nempe ortum, a frigore aliquando arceri: quidni? Aliud enim est haemorrhagiam *pro momento sedare*, aliud *caussam*

ra-

(*a*) JONES op. cit.

radicitus evellere. Quotidiana experientia nos docuit, diras saepe haemorrhagias tunc solummodo silere, quando aeger in lipothymiam incidit. Phaenomenon hoc facile explicandum est. Non defuere hinc medici, pene dixerim carnifices, qui sub ipsa haemorrhagia effraeni, venae sectionis usum ad lipothymiam usque suaserint. Ita vero debilitati debilitatem addunt, morbique caussam longe maiorem reddunt; quae res facit, ut licet haemorrhagia abhinc compescatur, nemo tamen dicere possit, morbum esse sanatum, aut imminutum (*). Iam idem cum frigoris usu, quod longe tamen minus nocet, accidere, nemo facile negabit. Vasa enimvero, quae ob atoniam ac laxitatem sanguinem effundebant, applicata glacie magis magisque debilitantur, & si hoc vocabulo uti licet, in localem lipothymiam praecipitantur. Collapsa tunc, quae prius

(*) Eodem tempore, quo balnea gelida in haemorrhagiis praescribuntur, excitantibus remediis larga dosi utuntur plurimi Medici, sanitatemque glaciei actioni tantummodo tribuunt. Elapso anno dum Mediolani praxim medicam exercebam, ad foeminam iam ab octo diebus uteri profluvio sanguineo ex totius systematis debilitate exorto laborantem, vocatus fui, ibique peculiarem medendi methodum observare potui. Venae sectio per sex vices repetita fuit; glacie puro bis in die totum abdomen obtegebatur, & omni bihorio mixturae, ex unciis quatuor decocti corticis peruviani, unciis duabus tincturae cinnamomi, scrupulis duobus liquoris anodyni, scrupulo uno laudani liquidi, uncia una electuarii diascordii, & unciis duabus aquae menthae, factae, cochlearia tria sumere, conabatur miserrima. Glaciei, ciborum gelidorum, & venae sectionis usu seposito, tincturam cinnamomi cum pauxillo laudani aliquoties in die sumendam iussi, sensim sensimque excitantium remediorum, & ciborum dosim adaugendo, trium dierum spatio foemina convalescens lectum derelinquere potuit (*Edit.*).

prius cruorem emittebant vasa, sanguinem pauca vi a corde & arteriis propullulantem, non amplius suscipiunt. Silet hinc haemorrhagia: dicesne morbum sanatum esse? Minime hercle! Porro si medicus, quo tempore morbus servat inducias, mali curationem cum stimulantibus aggreditur, ridiculum prorsus esset, felicem morbi exitum frigori adscribere, quum ille excitantibus deberetur. Si vero quo tempore ope glaciei haemorrhagia sedata quiescit, alia debilitantia imperantur, tunc non sine ratione, ut indies evenit, de aegrotantis salute desperatur. Sed hanc de frigoris actione sententiam continuatae experientiae, utpote summae in rebus physicis magistrae, vel comprobandam amplius, vel reiiciendam lubens confidensque relinquo. Neque enim systema ullum ita sum amplexus unquam, ut ab eo me avelli nullo modo patiar.



C A P U T VIII.

Diabetes.

RArissimi huius morbi, mihi tamen decies visi, duo exempla in Clinico Instituto pertractanda habui. Quum saepe pro diabete a medicis alii morbi, qui id nequaquam sunt, declarentur, ipsius definitionem omnibus anteponam, ea ductus ratione, ut lector de rectitudine diagnosis a me institutae certior reddatur. „ Est autem *dia-* „ *betes* vera corporis per urinam colliquatio, aut „ lotii profluvium, vel copia potum longe supe- „ rante, utplurimum, vel principii saccharini admix- „ tio-

„ tione superans, cum siti inexplebili, cute ari-
„ da, squamosa, & macie extrema sine febre in
„ longum plerumque incedens (*a*)". Unus ex meis aegrotis *diabete insipido*, ut vocant, alter vero sic dicto *diabete mellito*, affectus erat. Ille sanatus nosodochium dereliquit, hic autem Institutum Clinicum paucis ante mortem diebus deseruit. Eorum historiis permulta hoc loco, circa huius morbi caussas, symptomata, praemittere oporteret. Sed cur tot hypothesibus nova adderem? Pauca tamen, quid de his sentiam, succincte, seposita omni hypothesi, proferam.

Immortalem SYDENHAMUM naturam diabetis, & ipsius originem, accuratius quam reliqui medici, qui eundem vel praecessere, vel secuti sunt, agnovisse, minime dubito. A debilitate enim ille huius morbi caussam proximam derivabat (*b*). Homines revera, qui diabeti praesertim obnoxii vivunt, senes, a febre intermittente, venae sectionibus, & catharcticis, viribus privati sunt, quod idem SYDENHAMUS testatur. Unus ex diabeticis, quos elapsis annis in Clinico Instituto observavi, magnas narium haemorrhagias a prima iuventute passus erat.

Morbi porro, qui cum diabete societatem inire solent, cuncti a debilitate quoque pendent. SAUVAGESIUS (*c*) diabetis exemplum, qui cum hydrope incedebat, refert. Pars plurima eorum, quos Pater meus in hoc morbo tractavit, hydropem contraxerat. Diabetici simul scorbuto affecti

BANGS

(*a*) Epit. de cur. morb. T. V. §. 478.
(*b*) Constitut. epidem. an. 1675. 1680.
(*c*) Nosolog. method. T. III.

BANGS (*a*) mentionem fecit. Idem SAUVAGESIUS huius morbi exemplum adducit, cui ossium emollitio praecessit (*b*).

Caussae denique, a quibus diabetes generatur, singulae debilitando agunt. Maxima tamen illarum pars hunc effectum nimis stimulando ac vitale principium exhauriendo, producere videtur. Helluones, illosque qui venere abutuntur, imprimis ab aegritudine hac prehendi, facta medica, nec non propriae observationes docent. Venenum serpentis *dipsadis*, alias *prester* dicti, a quo diabeten natum fuisse medici antiquitatis fatentur, nimis quidem probabile videtur. Celeb. TRNKA (*c*) ab ira, terrore hunc morbum originem duxisse, testatur. CULLENIUS (*d*) & PLACE (*e*) a defectu assimilationis diabeten oriri existimant. Haec ventriculi debilitas tamen nonnisi morbi effectus esset. Contra opinionem istam Doct. CAWLEY, ea ductus ratione, insurgit; quod signa pravae digestionis non praecedant, quod iuniores & robustos (de hac re valdopere dubito) saepe morbus invadat; quodque saepe cibos vehementer appetant. Et ego utplurimum famem summam ab aegrotantibus diabeticis accusatam esse audivi; sed, quaeso, an semper fames ista praeternaturalis a nimio corporis vigore derivanda est? In morbis, qui a debilitate pendent, licet saepe ciborum desiderium deletum sit, fames nihilominus non raro observatur. Ipsa acida

---

(*a*) Acta Societ. med. R. Havniens. Vol. I. p. 2.
(*b*) L. c. T. II.
(*c*) Commentar. de diabete.
(*d*) Primae Lin.
(*e*) De vera diabet. caussa in defectu assimilationis quaerenda. Goetting. 1784.

da in primis viis, quae debilitatis esse productum nemo negabit, quoties famem insignem non excitant? Sub phthiseos ultima etiam periodo, in qua certe summa iam adest virium prostratio, fames tamen haud raro urget, pluresque morti ex aliis quoque morbis iam vicinos, in querelas de fame prorumpere audivi: Aliquoties dein & anorexiam in diabete observavi, quod e sequentibus morborum historiis elucebit. Minime interim ignoro, allatas caussas ad huius morbi originem explicandam semper sufficere. Posset enim aliquis obiicere: morbos, qui a debilitate oriuntur, inter omnes frequentissimos esse, diabeten vero rarissime observari. Sed, quisne precor, ignorat, certam caussarum vim ac complicationem aegritudines posse adspectu inter se diversissimas generare, quin ideo intrinsece a se invicem differant? Quid denique miri, si illa complicatio caussarum debilitantium, quae diabeti ansam porrigit, rarior, quam illa, quae febres intermittentes generat, esset? Adde, quod diabetes forsitan longe minus infrequens, quam vulgo existimatur, sit, quum saepe docente CAWLEYO, urinae copia naturalis observetur, nihilque, praeter dulcedinem, morbosi ostendat. Hoc in casu aegritudo facillime sane a medicis non dignoscitur. Recepta pro caussa diabetis debilitate corporis totius, lotii secretionis auctae origo, atque illa principii saccharini, explicatu haud difficilis esset. Affinitates enim chemicae, quae, quum vis vitalis viget, in machina animali huic ipsi subiectae sunt, in morbis a debilitate pendentibus, ubi scilicet vis vitalis languet, magnam scenam ludunt, atque varios mirosque effectus produnt. Ex principiorum igitur *carbonii*, *oxygenii*, *hydrogenii* complicatione varia ac mixtione, istiusmodi phaenomena perfacile explicari possent ab illis, qui simplicitate non contenti, debilitatem

so-

solam pro diabetis caussa haud lubenter admitterent. In hoc morbo urinae origo certe non in solis fluidis quaerenda. Ipsa solida in lotium convertuntur. Egregia certe & attentione admodum, sub hoc adspectu, digna diabetis definitio est, quam ARETAEUS sequenti sermone nobis dedit. „ Diabetes est carnium ac membranarum in urinam „ colliquatio ". Cibi cuncti, licet solidi, in lotium mutantur. Hinc nil miri, si urinae pondus illud potulentorum superare mihi dicas; nihilque miri, si principium saccharinum, quod in dies tanta quantitate assumimus, in urina detegatur. In singulis fere humoribus animalibus saccharum hinc inde invenitur. Doct. HUNERWOLF (*a*), in phthisi, cerumen aurium ab aegro & adstante foemina gustatum, *pro dulci*, quod iam HIPPOCRATI notum fuit, declarari audivit. Sputa phthisicorum ad nauseam usque dulcia non raro observantur. An dulces forsitan interdum & sudores colliquativi?

Quantitas sacchari, quae saepius in urina diabeticorum detegitur, longe magis conspicua, quam in reliquis humoribus est. Ipse ego, sex circiter abhinc annis, urinam diabetici, qui in Clinico Instituto degebat, chemice examinavi. Sub leni evaporatione, ex viginti quatuor libris urinae, uncias viginti sex substantiae saccharinae obtinui. Egregius chimicus, celeb. MARABELLI, ope congelationis ab urina diabetici, cuius historiam sub Nro II. exponam, summa cum facilitate saccharinum principium nuper separavit. Est enim analysis

---

(*a*) Ephem. natur. curiosor. dec. II. ann. 3. Observ. 91.

sis hac ratione suscepta omni alii longe anteponenda, quum sic constituentia ab igne minime immutentur. Praeter saccharum, quod a diabeticorum urina separavi, addito huic acido nitrico, acidum *oxalycum*, quod iam dudum alii fecerunt, obtinui. Experimenta sic DOBSONII, DARWINII, quum repeterem, alia quaedam nova in mentem mihi venerunt. Fermentationem scilicet sic dictam vinosam, cui urina diabeticorum, quae saccharum continet, subiecta est, sedulo observans, an ex illa *Alcohol* praeparari posset, experiendum statui. Ad hunc scopum quadraginta lotii sub diabete emissi, libras, quibus pauxillum fermenti panis adieci, sumpsi. Haec omnia per biduum in loco moderate calido servans, denique more solito, sub leni igne distillationi submisi. Mox *Alcohol* in conspectum venit, quod admota bene ardebat, cuiusque aliqua portio in museo pathologico Ticinensi servatur. Similem lotii copiam per sex circiter dies in eodem loco reliqui, donec scilicet fermentatio acida comparuerit: quae tunc aequa ratione destillationi subiecta, sat largam *aceti* copiam dedit. Experimenta haec singula invenias descripta ab ill. FOURCROY (*a*).

Circa diabetis naturam pauca hisce omnibus addere, mihi liceat. Sitis, quae in hoc morbo inter praecipua symptomata spectat, originem diabetis, atonicam ultro confirmat. Illa enim ab aquae potatione non solum non imminuitur, sed immo valdopere augetur. Vinum meracum sitim contra sedare, aegroti omnes uno ore fatentur. *Potus excitans*, de quo alibi locutus sum, eundem effectum pro-

---

(*a*) Journal.

prodit. Remedia porro omnia, quae in diabetis curatione proficua detecta fuere, nonne singula ad roborantia, sive excitantia spectant? Talia certe sunt, *Alumen*, *Cantharides*, *Pulvis* DOWERI, ipsum *Opium*, *Cuprum ammoniacale*, *Cortex Peruvianus*, *Mercurius* &c.

Quum vero curatio huius morbi tam difficilis sit, & saepe impossibilis evadat, nonne forsitan suspicio haberi posset de vitio locali, ab universali prius debilitate generato? Non auderem aliquid super hanc rem asserere. Sufficiat interim mihi, hisce omnibus praemissis, duos illos, quos afferre pollicitus sum, casus, exacte hic nunc describere.

HISTORIA I.

Quinquagenarius, *Aloysius de Antoni*, ex Feudis Imperialibus, ille est, qui morbum attentione nostra dignissimum, ob raritatem, tractandum exhibuit. Vir iste scilicet, optimo instructus corporis habitu, propitiam semper habuit salutem, si paucas excipiam febres intermittentes, atque capitis dolorem, qui originem suam agnovit, tribus abhinc annis, cum ex adverso fato in flumen quoddam cecidisset. Die vero septima octobris huiusce anni, cum oryzae secandae caussa in aqua pedibus degeret, ad vesperas siti sat vehemente corripitur, ac mox urinae copia aucta, oris siccitas, lenisque diaphoresis per hebdomadam solummodo durans, appetitus aliqua depravatio, atque muneris sui fungendi impotentia, sese adsociarunt; quo sub rerum statu per mensem integrum mansit, quin opem aliquam a medica perquireret arte; praeterlapso vero illo tempore, medicum accersiri curavit, qui pulveres, nescio quos, sero lactis solutos propinavit; a quibus alvus bis vel ter de die mo-

vebatur, cum debilitatis augmento. Dein medietatem versus elapsi mensis novembris nosocomium Mediolanense petiit, in quo pharmaca aliqua mihi ignota propinata fuere, sed octo elapsis diebus ob morbi longaevitatem e nosodochio expulsus fuit; domique mansit usque ad elapsam diem decembris nonam. Hac die aegroto in Clinicum Institutum recepto, meisque tradito observationibus, sequentia adnotatu digna in conspectum sese prodidere. Siccitatis sensus ad os, ac sitis vix poculo a labris remoto recrudescens, virium summa prostratio; de die in diem aucta, cutis arida, macies conspicua; licet etiam sub statu sano pinguis non fuerit aeger; urinae copia aucta, sed nec dulcis, nec salsedinosa, limpida, ut aqua fontis. Ardor stomachi, surarum dolor, quae etiam ab initio morbi non defuerant, praesto erant. Appetitus optimus, pulsus a naturali statu non abludens. Febris hucusque non apparuit, lingua satis humida, dolor capitis ingens, alvus potius tarda; ob debilitatem, motus aliquantisper impeditus, sitis urinaeque copia magis versus noctem adaucta apparent. Interrogato aegro, quinam potus sitim sibi magis falleret? vinum esse respondit. Quibus omnibus rite perpensis, diabetem insipidum coram haberi, nemo est, qui non videat. Caussas adparentes nullas adducit, praeter veneris abusum, nimios labores praegressos, victus tenuitatem, spirituosorum defectum. Cum vero agatur de morbo, qui tam pauca felicis exitus nobis offert exempla, atque contrarii nobis quam plurima non deficiant, non nisi valde dubiam, periculique plenam prognosin pronuntiare possum. Pauca interim, quae remanebat, spem in remediorum excitantium usum, reposuimus; quum vero necdum morbus satis elucesceret, decoctum hordei pro potu, & diaetam tertiam praescripsimus.

Ma-

Mane 10. Octobris, & 63ma morbi die.

Hac nocte, ob sitim urgentem, atque continuam a potu sumpto mingendi necessitatem, parum dormivit. Alvus non aperta, urinarum nec dulcedinem, nec salsedinem ostendentium libras viginti tres minxit. Decocti communis libras viginti septem potavit.

℞. *Cupri ammoniacalis granum unum,*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiant doses tales duae, capiat unam mane, alteram vespere.

Diaeta quarta.

Vespere.

Caetera continuant. *Sumat alterum pulverem.*

Mane $\frac{11}{64}$.

Parum dormivit ob sitim molestam. Totius corporis pondus ad libras 132. ascendebat. Urinae libras 38 $\frac{1}{2}$. minxit. Calculo facto ab heri mane usque nunc, & consideratis omnibus, tum fluidis, tum solidis, quae sumpsit, singularum pondus librarum 39. fuit. Alvus semel mota; excrementa uncias quatuor ponderabant.

℞. *Cupri ammoniacalis granum unum,*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

 Fiant

Fiant doses tales duae, capiat unam mane, alteram vespere.

Diaeta quarta.

Vespere.

Nil novi.

Sumat alterum pulverem.

Mane $\frac{12}{65}$.

Libras 41. urinae minxit, & 48. decocti alimentorumque sumpsit. Febris nulla, caetera continuant.

℞. *Cupri ammoniacalis granum unum cum dimidio.*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiant doses tales duae; capiat unam mane, alteram vespere.

℞. *Aquae font. libras duas,*
Spiritus vini uncias duas,
Mellis despumati unciam unam cum dimidia.
M.

Detur pro potu.

Diaeta quarta.

Ve-

Vespere.

Nil novi. Sumat alterum pulverem; in potu spirituoso, & diaeta continuet.

Mane $\frac{13}{66}$.

Urinae libras 43. $\frac{1}{2}$. minxit, & 48. potus cibique sumpsit; alvus semel mota, faeces ascendebant ad drachmas sex. Ob sitim, & mictum continuum parum dormivit; ad dorsum dolorem accusat. Caetera eadem ratione continuant.

Repetantur pulveres, potusque ac diaeta.

Vespere.

Nil novi.

Sumat alterum pulverem. Habeat diaetam quartam; cum libra una vini. Potus spirituosus repetatur.

Mane $\frac{14}{67}$.

Nec oculum clausit. Alvus non mota, caetera continuant. Urinae libras 43. $\frac{1}{2}$. minxit, & 46. alimentorum tum fluidorum, tum solidorum sumpsit. Analysi instituta, urinae, a Pharmacopola Domino MARABELLIO examinatae, saccharinum principium non ostenderunt.

℞. *Pulveris Doweri grana sex,*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

 Fiant

Fiant doses tales quatuor, capiat unam omni trihorio.

Diaeta quarta cum libra vini.

Vespere.

Alvus semel mota. Caetera continuant symptomata.

Sumat reliquos pulveres, & in caeteris continuet.

Mane $\frac{15}{66}$.

Ad noctem non dormivit. Sitis continuo urget, alvus semel mota. Omnia, quae sumpsit, ascendunt ad libras 35., atque lotii prorsus aquosi libras 31. minxit.

℞. *Pulveris Doweri grana decem,*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiant doses tales sex: capiat ter de die unam.

In potu & diaeta continuet.

Vespere.

Nil novi.

Continuetur in praescriptis.

Ma-

Mane $\frac{16}{59}$.

Aliquantisper quievit hac nocte, symptomata tamen omnia continuant, alvus semel mota. Libras quadraginta tum potus, tum cibi assumpsit, ac libras 40. urinae minxit.

℞. *Pulveris Doweri grana quindecim,*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiant doses tales sex: capiat ter de die unam,

In potu & diaeta continuetur.

Vespere.

Res eodem modo procedit. *Continuetur in omnibus.*

Mane $\frac{17}{70}$

Hac nocte non dormivit. Libras 35. quoad victum & potum sumpsit, & libras 31. urinae minxit. Dolor capitis, ardorque ventriculi continuant, manuum ariditas crescit, alvus non mota; sopor, & vomitus non apparuere; urinae ciusdem qualitatis & coloris sunt.

℞. *Pulveris Doweri grana viginti.*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiant doses tales sex, capiat ter de die unam.

In potu & diaeta continuet.

Vespere.

Per horam circiter dormivit, sudor nullus, nec vomitus, sitis vero continuo urget. Applicentur vesicantia, unum ossi sacro, alterum ad regionem vesicae urinariae.

Continuetur in pulveribus, potu, & diaeta.

Mane $\frac{18}{7}$.

Hac nocte aliquantisper imminutus fuit dolor capitis; per horam circiter dormivit, appetitus nullus, sitis eadem, urinae libras 32. minxit, & 32. alimentorum sumpsit. Alvus semel mota.

℞. *Pulveris Doweri grana viginti quinque.*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiant tales doses sex, capiat ter de die unam.

In potu & diaeta continuet.

Vespere.

Per duas circiter horas dormivit, caetera continuant.

Sumat reliquos pulveres; in potu & diaeta continuet.

Ma-

Mane $\frac{19}{72}$.

Bene dormivit usque ad dimidiam noctem; qua elapsa somnus fugit. Vomitus nullus, nec sudor. Urinae libras 32. minxit, & 34. ciborum ac potus sumpsit. Cutis aridior evadit, lingua humidiuscula; oris sensus siccitatis continuat, appetitus fere nullus.

℞. *Vini optimi uncias duas,*
Tincturae cantharidum guttas duas.
M.

Fiant doses tales duae, capiat unam mane, alteram vespere.

In potu & diaeta continuet.

Vespere.

Nil novi.

Sumat alteram dosin; continuet in caeteris.

Mane $\frac{20}{73}$

Nox insomnis fuit ob continuos dolores dorsi, lumborum, surarum; in emittenda urina ardor se manifestat. Urinae libras 32 minxit, & alimentorum 36. sumpsit, alvus semel mota, appetitus valdopere prostratus, sitis continuat.

℞.

℞. *Emuls. amygdal. libras tres,*
in qua solve
Mucilag. arabicae,
Sacchari albi ana drachmas duas.
M.

Capiat pro potu. In caeteris continuet.

Vespere.

Dolores omnes increvere, praecipue in urina eliminanda; aliqua febris quoque se manifestavit.

In emulsione continuet.

Mane $\frac{21}{74}$.

Non dormivit, dolores omnes continuant; ardor in urina mingenda minor, appetitus nullus. Urinae libras 30. minxit, & 32. alimentorum sumpsit. Aliqua febris.

℞. *Decoct. cort. peruviani uncias novem*
Laudani liquidi guttas viginti,
Vini malvat. uncias sex.
M.

Omni biborio cochlearia duo sumat.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam.*

Fiat frictio.

In potu & diaeta continuet.

Ve-

Vespere.

Ardor in urina mingenda nullus, alii dolores continuant; ob morbi metum plorabat. Pulsus aliquantisper frequentes, debilitas augetur; cutis ariditas aucta, appetitus nullus.

Continuavimus in medicina, potu, diaeta quarta cum duobus ovis.

Mane $\frac{22}{75}$.

Libras 30. urinae minxit, & 31. nutrimenti tum fluidi, tum solidi sumpsit. Alvus semel mota, appetitus nullus; aliquantisper dormivit, caetera continuant.

In medicina, potu, & diaeta perseveret.

℞. *Unguenti mercur. drachmam unam.*

Pro frictione.

Vespere.

Dolor capitis & dorsi imminutus.

Continuet in medicina interna, potu atque diaeta.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Mane $\frac{23}{76}$.

Hac nocte non dormivit, debilitas & cutis ari-

di-

ditas augentur, salivatio nulla, sitis aucta; urinae quantitas maior, appetitus nullus, alvus semel mota.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam.*

In potu, vino malatensi, medicina, & diaeta continuet.

Vespere.

Nil novi.

Repetatur potus, & diaeta.

Mane $\frac{24}{77}$.

Non dormivit; salivatio incipit; sitis magna; Urinae libras 43. minxit, quae quantitas potum & victum non superat.

Nil praeter potum & diaetam.

Vespere.

De summa conqueritur debilitate, atque de appetitu depravato; salivatio nulla; caetera continuant.

Continuetur in potu & diaeta.

Mane $\frac{25}{78}$.

Non dormivit; universalem tremoris sensum accu-

cusat; urinas eadem quantitate, ut heri, minxit; salivatio nulla, caetera continuant.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Fiat frictio mercurialis ad drachmam unam.

Repetatur potus & diaeta.

Vespere.

Summam accusat debilitatem, caetera continuant.

℞. *Haustus narcotici uncias tres.*

In caeteris continuet.

Mane $\frac{26}{7b}$.

Non dormivit ob continuam mingendi necessitatem. Urinae libras 31. minxit, non vero superant potum & cibos. Salivatio nulla.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia. In caeteris continuet.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias quatuor.*

Capiat quatuor vicibus.

Diae-

Diaeta quarta; cum libra vini; & iusculis carneis;

Mane $\frac{27}{80}$;

Vix aliquid somni apparuit; debilitas, & bibendi desiderium continuant. Urinae libras 28. minxit; victum & potum non superantes.

℞. *Vini malacensis libram unam.*

Repetatur frictio mercurialis ad drachmam unam cum dimidia; Diaeta quarta.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias quinque.*

Capiat quinque vicibus.

Diaeta tertia.

Mane $\frac{28}{81}$.

Aliquantisper dormivit. Bibendi necessitas imminuta est, hinc minorem partem potus consueti assumpsit; urinae eadem proportione decrescunt, aliqua gingivarum irritatio persentitur. Vinum appetit. Pulsus melior.

Repetatur frictio mercurialis ad drachmam unam cum dimidia.

℞.

℞. *Haustus narcotici uncias tres,*
Aquae cinnamomi uncias quatuor.
M.

Capiat paulatim in die.

℞. *Vini malvatici uncias novem.*

Vespere.

Res eodem modo continuant. *Continuetur medicina.*

℞. *Vini malacensis libram unam.*

℞. *Haustus narcotici uncias quinque.*

Divide in octo partes aequales, capiat unam omni hora.

Mane $\frac{29}{82}$.

Aliquantisper dormivit, se melius habere asserit aegrotans. Aliqua adest salivatio, pulsus elevatiores, aspectus melior. Sitis non eadem vi, ac alias, urget. Aliqua ad gingivas irritatio. Urinae iam a duobus diebus ad libras 27. descendunt in die, atque superantur a potus & cibi quantitate. Iam a quatuor diebus faeces non deponit.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia.

℞.

℞. Pulveris corticis peruviani drachmas duas;
Opii puri grana duo.

M. exacte, & divide in quatuor partes aequales, capiat unam omni bihorio.

Vespere.

Res eodem procedunt modo.

Continuet in medicina, & diaeta.

℞. Vini malacensis libram unam.

Mane $\frac{30}{83}$.

Mediocriter dormivit, sed sub somno formicationis sensum persentire asserit hinc inde aegrotans; aliqua adest salivatio, sub qua metalli saporem nauseosum persentit aeger. Aliquis capitis dolor, & non mediocris debilitas continuant; urinae quantitas, ut heri.

Repetatur medicina.

℞. Vini malacensis uncias novem.

Frictio ad drachmam unam; diaeta eadem.

Vespere.

Nil novi.

Continuet in medicina.

℞.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Diaeta eadem.

Mane $\frac{31}{84}$.

Parum dormivit, sitis magna; urinae iterum ad libras 30. ascendunt, non superant tamen cibi & potus quantitatem. Aliquis, sed parvus irritationis sensus persentitur ad gingivas. Dolores apparent ad vesicae regionem, & ad urethram; praecipue sub mictu. Pulsus debiliores, dolor capitis, atque caetera symptomata continuant.

Repetatur medicina.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Diaeta quarta. Frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

Summa debilitas, & sitis denuo apparent, dolor vesicae & urethrae continuat, alvus ter mota cum magno tenesmo.

Diaeta quarta.

℞. *Haustus narcotici uncias tres,*

Capiat tribus vicibus.

Fomentum emolliens loco dolenti.

Mane $\frac{1}{85}$. Ianuar. 1795.

Parum dormivit, appetitus nullus, ardor in emittenda urina minor, aliquis pruritus ad gingivas, urinae aquosae ad libras 22. minxit, sitis imminuta est.

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia.

℞. *Pulveris corticis peruviani drachmas duas;*
Opii puri grana duo,
Infunde in vini malacensis unciis octo.
M.

Capiat omni quadrihorio quartam partem.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Diaeta eadem.

Vespere.

Res melius procedit; dolores & ardor in urina mingenda imminuti.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Mane $\frac{2}{86}$.

Hac nocte bene dormivit, ardor in urina mingenda nullus, sitis imminuta, appetitus idem, urinae libras 20. minxit.

Repetatur medicina.

℞.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Diaeta eadem.

Mane $\frac{3}{87}$.

Bene dormivit; melius se habere dicit; aliquis ardor ad gingivas successit, sed salivatio nulla, sitis pauca; urinae libras 12. magis coloratae minxit, & omnia symptomata imminuta; alvus semel mota, sine tenesmo.

Repetatur medicina, vinum, diaeta, & frictio mercurialis ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

Nil novi.

Continuetur.

Mane $\frac{4}{88}$.

Res bene procedunt. Optime quievit, urinae magis coloratae parumque dulcis libras 18. minxit, alvus semel mota, appetitus desideratur, sitis imminuta, aliquis ardor ad gingivas, sed salivatio nulla, dolores imminuti.

Repetatur medicina, vinum malacense, diaeta, & frictio mercurialis ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

Nil novi.

Continuet in vino & medicina.

Mane $\frac{1}{89}$.

Hac nocte bene quievit, debilitas non tanta, alvus semel mota, sed parum, & cum magno tenesmo; sitis pauca; urinae magis coloratae libras solummodo 1ʒ. minxit; appetitus idem, salivatio nulla, oris siccitas imminuta.

Repetatur medicina, vinum malacense, diaeta & frictio mercurialis ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

Desidendi ad alvum magna voluntas, sed cum sellam petiisset, tam magno correptus est tenesmo, ut faeces, nimis forsan duras, excernere non potuerit; dolores ad urethram nulli.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Diaeta eadem.

Mane $\frac{6}{90}$.

Hac nocte bene quievit, sitis ſpauca, dolores imminuti, urinae iterum aquosae, magisque dulcis libras 16. minxit.

Re-

Repetantur omnia. Frictio mercurialis ad drachmam unam cum dimidia instituatur.

Vespere.

Nil novi.

Continuetur.

Mane $\frac{7}{91}$.

Bene dormivit, alvus semel mota, sed cum magno tenesmo & dolore; faeces sunt durissimae, & parcae; dolor capitis auctus, sitis imminuta, appetitus nullus, urinae libras 12. solum minxit. Continuavimus in omnibus, omissa frictione.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Diaeta eadem.

Mane $\frac{8}{92}$.

Bene dormivit, alvus semel mota, sed parum, & cum magno tenesmo; urinae naturali colore & sapore praeditae, libras 12. minxit.

Repetantur omnia, praeter frictionem.

Vespere.

Nil novi aderat.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Mane $\frac{9}{93}$.

Aliquantisper quievit, ardor gingivarum & siccitatis sensus ad os imminuti, sitis pauca, appetitus nullus, cutis minus arida, dolor capitis continuat, os valde amarum; alvus semel mota, sed non cum tanto tenesmo, urinae fere naturalis libras 10. minxit, se melius habere, & sanum esse dicit, si appetitus vigeret.

℞. *Vini malacensis uncias octo,*
in quibus solve
Opii puri granum unum. Adde
Pulveris corticis peruviani drachmas duas.
M.

Capiat omni bihorio quartam partem.

℞. *Vini malacensis uncias octo pro potu.*

Diaeta eadem.

Vespere.

Nil novi.

Continuet medicinam. Dein

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Diaeta eadem.

Mane $\frac{10}{94}$.

Hac nocte parum quievit. Siccitatis sensus ad os

os auctus, & sitis; urinae magis tinctae libras 16. minxit. Os amarum, alvus semel mota, sine tenesmo.

℞. *Vini malacensis uncias octo,*
in quibus solve
Opii puri grana duo. Adde
Pulveris corticis peruviani drachmas duas,

M.

Capiat omni quadriborio quartam partem.

Vespere.

E lecto surrexit, melius se habere dicit. Pomum citrinum desiderat.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Pomum citrinum. Diaeta eadem.

Mane $\frac{11}{95}$.

Bene dormivit; oris amaror nullus, sitis imminuta; urinae naturales, ad libras 10. solummodo minxit; caetera continuant.

Repetatur medicina.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Diaeta eadem.

Vespere.

E lecto surrexit, sitis imminuta, urinae ad vesperas sunt magis aquosae, os non amarum.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

In caeteris continuet.

Mane $\frac{12}{96}$.

Parum dormivit, sitis non tanta, alvus semel mota sine tenesmo, os amarum, appetitus nullus, debilitas magna, urinae magis tinctae matutino tempore ad libras 14. ascendunt.

Repetatur medicina.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Diaeta eadem.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam cum dimidia.*

Fiat frictio.

Vespere.

E lecto surrexit; sed ob magnam debilitatem multos gressus facere non potuit. Caetera continuant.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Diaeta eadem.

Ma-

Mane $\frac{13}{97}$.

Aliquantisper quievit, salivatio nulla; urinae libras 12. minxit. Caetera continuant.

℞. *Vini malacensis uncias octo,*
in quibus solve
Opii puri grana duo. Adde
Corticis peruviani drachmas duas.

M.

Capiat omni quadriborio quartam partem.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

E lecto surrexit, sed ob magnum frigus iterum plumas petere coactus fuit. Sitis continuat, urinae magis tinctae, caetera continuant.

Continuet in medicina. Dein

℞. *Haustus narcotici uncias duas.*

Diaeta eadem.

Mane $\frac{14}{95}$.

Aliquantisper quievit, alvus semel aperta; urinae libras 12. minxit, magis tinctae sunt mane, quam

quam vespere, sitis atque inappetentia continuant, aliquis ardor ad gingivas, sed salivatio nulla.

℞. *Vini malacensis uncias septem,*
Pulveris corticis peruviani drachmas duas,
Opii puri grana tria.
M.

Capiat omni quadrihorio quartam partem.

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Diaeta eadem.

Vespere.

Nil novi. Urinae adhuc tinctae.

℞. *Haustus narcotici uncias duas.*

Capiat duabus vicibus.

Mane $\frac{15}{99}$.

Aliquantisper quievit. Dolor capitis, sitis, inappetentia atque debilitas continuant. Aliquis gingivarum dolor.

℞. *Aquae cinnamom.*
——— fontis ana uncias tres.
Laudani liquidi guttas quadraginta.
M.

Ca-

Capiat omni quadrante horae cochleare unum.

℞. *Pulveris corticis peruviani drachmas duas,*

Vini malacensis uncias septem.

Capiat omni quadrihorio quartam partem.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Diaeta eadem.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{16}{100}$.

Ad noctem aliquantisper quievit; sitis & inappetentia continuant; urinae naturalis libras 10. minxit.

Repetantur omnia heri mane praescripta, & frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias tres, capiat tribus vicibus.*

Ma-

Mane $\frac{1}{101}$:

Urinae libras decem minxit, bene dormivit, sed sitis, debilitas, & inappetentia continuant.

Repetatur medicina heri mane praescripta, & frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere:

Nil novi:

℞. *Haustus narcotici uncias tres:*

Capiat tribus vicibus:

Mane $\frac{18}{102}$.

Urinae libras 9. minxit, sed caetera continuant symptomata.

℞. *Aquae cinnamomi,*
—— *menth. ana uncias tres,*
Laudani liquidi guttas triginta.
M.

Capiat omni quadrante horae cochlear. unum.

℞. *Pulveris corticis peruviani drachmas duas,*
Vini malacensis uncias septem.
M.

Capiat omni quadrihorio quartam partem.

℞.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Repetatur frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Diaeta eadem.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias tres.*

Capiat tribus vicibus.

Mane $\frac{10}{103}$.

Urinae libras solummodo minxit 7., naturali colore & sapore praeditas, sed sitis, inappetentia, & debilitas continuant.

Repetantur omnia heri mane praescripta, & frictio ad drachmam unam cum dimidia.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias tres,*

Capiat tribus vicibus.

Mane $\frac{11}{104}$.

Hac nocte bene quievit, alvus semel m[illegible], caetera continuant.

Re-

Repetatur medicina heri mane praescripta. Frictionem ad drachmam unam cum dimidia; & balneum ad gradus caloris XXVIII Thermometri Reaumuriani praescripsimus.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias tres.*

Capiat tribus vicibus.

Mane $\frac{21}{105}$.

Hac nocte bene quievit; sitis, debilitas atque inappetentia continuant; urinae libras 7. minxit.

Repetatur medicina; & frictio ad drachmam unam cum dimidia, & balneum ad gradus 32.

Vespere.

Balneum intravit; minime sudavit, & calorem sat mitem fuisse, potiusque frigoris sensum persentiisse dixit; caetera continuant.

℞. *Haustus narcotici uncias tres,*

Capiat tribus vicibus.

Diaeta eadem.

Ma-

Mane $\frac{22}{106}$.

Hac nocte bene quievit, caetera continuant; urinae libras 6. minxit; gingivarum ardor auctus.

℞. *Myrrhae electae drachmam unam cum dimidia,*
Solve in vitello ovi,
adde:
Decocti corticis peruviani,
Aquae cinnamomi ana uncias quatuor;
Opii puri grana tria,
Syrupi corticis peruv. unciam unam.
M.

Capiat omni hora cochlearia duo.

℞. *Vini malacensis uncias novem:*

Vespere.

Nil novi; sitis imminuta.

Repetatur medicina.

Mane $\frac{22}{107}$

Hac nocte bene quievit, urinaeque ad colorem & copiam naturales; vix sitis aliqua; appetitus aliquis.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Haustus narcotici uncias tres,
Extracti corticis peruviani unciam dimidiam,
Syrup. corticis eiusdem unciam unam.
M.

Ca-

Capiat omni bihorio cochlearia duo.

Vespere.

Nil novi.

Haustus narcotici uncias tres.

Capiat tribus vicibus.

Mane $\frac{24}{108}$.

Bene quievit; urinae naturales; dolor capitis, & debilitas continuant, & licet appetitum numquam habere dicat, tamen sat bene comedit, libras tres vini bibit de die, totamque diaetam tertiam assumit. Siccitatis sensus ad os nullus: sitis naturalis, cutis minus arida, aspectus melior, & plura mala potius finguntur, ob nosocomii amorem, & cibi aviditatem.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem.*
Haustus narcotici uncias tres.
M.

Capiat omni hora cochlearia duo.

℞. *Vini malacensis uncias novem.*

Vespere.

Nil novi.

℞. *Haustus narcotici uncias duas.*

Capiat duabus vicibus.

Ma-

Mane $\frac{-5}{109}$.

Hac nocte optime quievit, alvus semel mota, urinae naturales, in caeteris melius se habet.

Repetantur medicina, & vini malacensis unciae octo.

Vespere.

Nil novi.

Continuet in medicina.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Mane $\frac{-6}{110}$.

Urinae naturales, in caeteris bene se habet.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem.*

Capiat omni bihorio cochlearia duo.

℞. *Vini malacensis unciae sex.*

Diaeta eadem.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Mane $\frac{27}{111}$.

Ad noctem bene quievit, appetitus urget, aspectus melior, urinae naturales quoad copiam & colorem, nec non saporem, debilitas non tanta, cutis minus arida.

Repetatur decoctum corticis.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Mane $\frac{28}{112}$.

Quievit. Bene in caeteris se habet.

Repetatur medicina & diaeta.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Mane $\frac{29}{113}$.

Nil novi.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Ve-

Vespere.

Repetatur vinum malacense.

Mane $\frac{20}{114}$.

℞. *Decoctum corticis peruviani.*

Diaeta eadem.

Vespere.

Nil praescriptum est.

Mane $\frac{21}{115}$.

Bene quievit. Alvus bis mota, debilitas aliqua, ardor stomachi continuat.

Repetantur singula.

Nil novi.

Nulla medicamenta.

Mane $\frac{1}{116}$ *Februarii.*

Res bene procedunt. Appetit.

Repetantur singula.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Vini optimi libram unam*.

Mane $\frac{2}{117}$.

Bene dormivit. Ardor stomachi continuat, debilitas non tanta, appetitus viget, dolor capitis continuat, urinae naturales.

℞. *Decocti corticis peruv. libram unam*.

Capiat omni biborio cochlearia duo.

Vespere.

Nil novi.

℞. *Vini malacensis uncias sex*.

Mane $\frac{3}{118}$.

Debilitatem iterum accusat, & aliquam sitim, atque ciborum inappetentiam; urinae eaedem; ardor stomachi, & dolores surarum continuant.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Aquae cinnamomi unciam unam cum dimidia,
Extract. gentianae scrupulos duos,
Syrup. corticis aurant. unciam unam cum dimidia.

M.

Capiat omni biborio cochlearia quatuor.

℞.

℞. *Vini malacensis uncias octo.*

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{4}{119}$ *& Vespere.*

Nil novi.

Repetantur omnia.

Mane $\frac{5}{120}$.

Bene quievit. Debilitas continuat, urinae naturales, ardor stomachi idem, appetitus viget.

℞. *Decoct. cort. peruviani uncias novem,*
Aquae cinnamomi uncias tres.
M.

Capiat omni bihorio cochlearia duo.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{6}{121}$.

Bene quievit, resque optime procedunt.

Repetatur medicina.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{i}{122}$.

Ardorem insignem ad scrobiculum cordis accusavit. In caeteris bene se habebat, aliquam tamen inappetentiam accusans.

℞. *Pulveris corticis peruviani drachmam unam,*

Rad. serpentar. virgin. drachmas duas,
Nucis muscat. drachmam unam cum dimidia.

M.

Fiat cum syrupo corticum aurantiorum electuarium. Capiat omni biborio drachmam unam.

Diaeta eadem. Vesicans ut rubefaciens ad scrobiculum cordis.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Ma-

Mane $\frac{8}{123}$.

Ardor disparuit, appetitus viget, de medicinae amarore conqueritur, debilitas minor, aspectus parum a naturali statu aberrans, alvus bis mota.

Repetatur medicina.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{9}{124}$.

Res bene procedunt.

℞.*Decocti corticis peruviani uncias novem.*

Capiat omni bihorio cochlearia duo. Diaeta IV.

Vespere.

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{10}{125}$ *& Vespere.*

Nil novi.

Continuet.

Mane $\frac{11}{120}$.

Nosocomio tandem valedixit. Urinae erant naturales quoad colorem & copiam; ardor stomachi nullus, cutis non tam arida; & corpus magis pingue, quam cum nosocomium petierat.

HISTORIA II. (*a*).

Rusticus triginta & octo annos natus, vir robustus, suaque sorte beatus, optima hucusque gavisus est valetudine, si febrem intermittentem excipias, quam proxime elapso Septembri est passus, & a qua octo circiter dierum spatio absque pharmacis penitus convaluit. Ast ante duos menses, quin in coitu peccasset, vel alium in rebus sic dictis non naturalibus errorem commisisset, inopinate molesta afficiebatur siti, quae a potu, licet copiose assumpto non extinguebatur; immo magis magisque recrudescens, non sine aegroti admiratione, de die in diem potulentorum desiderium adaugebat, sub quorum postea usu urinae limpidae, ac naturalibus uberiores fluxere. Tali in statu aegrotus per aliquot dies agrorum culturae adhuc operam dabat; sed sensim sensimque tristis ac morosus factus de virium prostratione quotidie magis magisque conquerebatur ita, ut perseverante morbo post 40. circiter dies, frustra adhibito cichorei decocto, quod medicus praescripserat, propriis muneribus fungendis impar factus, lectulo se commiserit. Medicus demum accersitur,

---

(*a*) A D. Doct. BOTTURI descripta.

tur, cuius consilio venae sectio instituitur, qua vix peracta non parum exasperantur morbi symptomata, & sic pristinae debilitati, altera accedit, ex sanguinis iactura. Rebus ita se habentibus, post quindecim dies domui valedixit, & die decima Ianuarii nostrum auxilium petiit, sequentia exhibens symptomata: corporis habitum valde emaciatum, sitim summam, nulloque potu fallendam, cutem valdopere siccam, linguam humidam, urinas, quas nosmetipsi gustavimus, dulces, & mellis saporem omnino referentes; frigoris sensum, qui a lumbis usque ad pedes extendebatur. Hisce perpensis, morbum pro diabete mellito declaravimus, & sic praescripsimus.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam.*

Fiat frictio.

Decoctum commune pro potu. Diaeta IV. cum vini libra.

Die $\frac{11}{63}$. Ian.

Elapsa nocte bene dormivit; appetitus fere naturalis, uti heri, cum ad nos accessit aeger: pulsus debiles & frequentes sunt, ita ut in minuto primo 96. ictus exhibeant, quae res etiam hesterna die a nobis observata fuit. Viginti quatuor horarum spatio decocti communis libras novem, & uncias octo, vini vero libras tres & dimidiam assumpsit. Alimentorum pondus ad libras octo ascendebat; urinas dulces ad libras octo, & uncias duas mirxit. Potum tepidum desiderat; concedatur, & repetantur ea, quae heri praescripta

pta fuere. Instituatur urinae analysis. Alvum bis deposuit.

Die 64.

Sitis minor fuit, frigus ad lumbos non amplius persentit. Urinae sub eadem alimentorum & potulentorum copia uberiores factae sunt ita, ut ad decem libras cum dimidia ascendant.

Continuetur in praescriptis.

Die 65. —.

Heri vespere post visitationem frigus ad lumbos denuo persentit. Sitis minus molesta fuit. Potulentorum libras novem solummodo assumpsit, quorum dimidia pars vinum erat, altera decoctum hordei. Urinae pondus ad quatuordecim libras ascendit cum dimidia.

Continuetur in medicaminibus, quae heri praescripsimus; dein exhibeantur vini optimi librae duae.

Die 66.

Frigoris sensus disparuit. Sitis mitior facta est. Vini libras quinque cum dimidia, decocti libras tres & uncias sex potavit. Urinae libras 14. minxit.

Continuetur in vino & decocto, ut supra, dein augeatur unguenti mercurialis dosis, ad drachmam unam cum dimidia. Alvum semel deposuit.

Die 67. —.

Sitis minor fuit quam heri. Vini libras quinque cum dimidia, decocti libras duas assumpsit. Urinae libras 13. & uncias tres excrevit.

Continuetur in praescriptis, dein ingrediatur balneum tepidum.

Die 68. —.

Alvum bis deposuit. Pulsus non valde frequens, & minus debilis quam alias. Sitis imminuta est; vini libras tres cum dimidia, decocti libram unam potavit. Urinas minxit uti heri. Frigus ad pedes mitius factum est —.

Repetantur singula, quae hesterna die exhibuimus, excepto balneo, a quo aliquis, ut aeger ait, dolor capitis insurrexit.

Die 69. —.

Pulsus fere naturales. Sitis aliquantisper adaucta est. Vini libras quinque cum dimidia, decocti libras duas assumpsit. Frigus ad pedes non amplius persensit aeger. Urinae libras decem cum dimidia minxit.

Continuetur ut supra —.

Facta analysi urinae, quam minxit die 62. & 63., clarissimus MARABELLIUS invenit, quod in singula urinarum libra, uncia una principii saccharini continebatur.

Die

Die 70. —.

Sitis mitior quám heri; potulentorum copia erat quatuor librarum cum dimidia, quorum maior pars ex vino constabat. Urinarum pondus est septem librarum.

Die 71. —:

Heri post prandium diarrhoea accessit, sub qua alvum octies deposuit. Hac de caussa dedimus haustus narcotici uncias tres. Vini libras tres cum dimidia, decocti libras tres potavit. Urinae libras sex excrevit, ad vesperas dedimus sequentia.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias septem,*
Aquae cinnamomi,
Haustus narcotici ana uncias duas.

Capiat omni biborio cochlearia duo. Vini libras duas.

Continuetur in decocto hordei.

Die 72. —.

Ad vesperas diarrhoea omnimode suppressa erat, sed aegrotus sopore laborabat, ideoque dedimus aquae menthae uncias quatuor, cum aetheris vitriolici drachma una. Capiat paulatim. Mane alvum non deposuit. Oris cavitas valde sicca, interim sitis non urget; nec aegro valde molesta est. Examinatis urinis, quas nudiustertius excrevit, invenimus, quod libra una ipsarum sacchari scrupulos decem continebat.

℞.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam,*

Fiat frictio.

Vini libras duas.

Die 73.

Elapsa nocte alvum novies deposuit. Vini libras quatuor cum dimidia, decocti libram unam, & uncias tres assumpsit. Cutis ariditas eadem est uti ab initio morbi. Urinae quantitas ad libras quatuor ascendit.

℞. *Emulsion. arab. uncias septem,*
Haustus narcotici uncias duas.

Capiat omni biborio quartam partem,

Vini optimi libras duas.

Die 74 —.

Alvum septies deposuit. Eandem uti heri potus copiam assumpsit, ac urinae quantitatem excrevit. Pulsus debiles, sed non valde frequentes.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias sex,*
Aquae cinnamomi uncias duas.
Syrupi corticis aurant. unciam unam.
M.

Capiat omni biborio quartam partem.

Vini optimi libras duas.

Die

Die 75 —.

Alvum semel deposuit. Oris siccitas aucta est. Vini libras quatuor & uncias sex, decocti libras duas assumpsit. Urinae libras octo & semis minxit.

Repetatur decoctum corticis cum aqua cinnamomi ut supra.

Die 76. —.

Alvum bis deposuit. Potus, excepta medicina, ad libras decem ascendebat, cuius dimidia pars vinum erat. Ariditas oris continuat. Pulsus minus debilis quam praeterlapsis diebus. Urina ad libras decem ascendebat.

Repetatur decoctum chinae cum aqua cinnamomi, dein:

℞. *Unguenti mercurial. drachmam unam.*

Fiat frictio.

Die 77.

Sitis aucta est, lingua valdopere sicca. Potavit ut heri. Urinae libras duodecim minxit. Conqueritur de frigore ad pedes, & de summa virium prostratione. Pulsus debiles & tardi facti sunt.

Repetantur ea, quae heri exhibuimus, dein

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Die

Die 78. —.

Debilitas maior fit. Frigus inferiores artus adhuc occupat. Potavit ut heri, si vinum malacense excipias. Urinae auctae sunt usque ad quatuordecim libras cum dimidia. Alvus semel aperta. Lingua siccissima, & sitis quotidie augetur. Pulsus debiles.

Repetatur decoctum chinae cum aquâ cinnamomi, dein

℞. *Vini optimi libras tres,*
—— malacensis libram unam.

Detur pro potu.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam cum dimidia.*
Pro frictione.

Die 79. —.

Urina ut heri. Lingua sicca persistit. Alvus semel est mota. Frigus ad crura minus molestum. Praeter potum a nobis praescriptum assumpsit decocti hordei libras duas.

Repetantur omnia, dein intret in balneum tepidum.

Die 80. —.

Debilitas aucta videtur, caetera eodem modo se habent ut heri. Continuetur in singulis, excepto balneo.

Die

Die 81. —.

Urinae libras 13. minxit. Praeter vinum, duodecim fere decocti libras potavit. Virium prostratio quotidie maior fit; lingua minus sicca videtur.

Continuetur in praescriptis. Instituatur iterum urinae analysis.

Die 82. —.

Lingua denuo est sicca, ut antea. Urinae auctae sunt usque ad 17. libras. Alvum semel deposuit. Salivatio nulla. Caetera ut heri.

℞. *Camphorae rasae grana decem.*

F. cum extract. cort. peruv. bolus.

Dentur doses tales VI. Capiat omni hora unam.

℞. *Vini optimi libras duas.*

Detur pro potu.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Capiat paulatim.

Die 83. —.

Res fere eodem modo incedunt, urinae tamen imminutae sunt, ita ut earum pondus ad libras duodecim cum dimidia solummodo ascendebat.

Continuetur in praescriptis.

Die

Die 84. —.

Urinae libras 11. minxit. Lingua valde sicca. Frigus ad pedes denuo accusat. Alvum semel deposuit. Sitis ut heri.

℞. *Emulsionis arabicae uncias octo,*
Camphorae rasae drachmam unam.
M.

Capiat omni quarta horae parte cochleare unum.

Continuetur in vino ut supra.

Die 85. —.

Potavit ut heri, urinae libras 12. minxit.

℞. *Decocti corticis peruviani unc. novem,*
Syrup. papav. albi unciam unam.

Capiat ut supra.

℞. *Unguenti mercurialis drachmam unam.*

Continuetur in vino.

Die 86. —.

Sitis non valde molesta fuit: praeter vinum, libram unam & semis decocti potavit. Urinarum pondus ad 12. libras, & uncias sex ascendebat.

Vespere.

Repetantur omnia, sed fiat frictio cum drachma una & semis unguenti mercurialis. Ex facta analysi uri-

urinae, quam minxit die 80. morbi, repertum est, quod in libra urinae uncia fere sacchari delitescebat.

Die 87. —.

Urinae adauctae usque ad quatuordecim libras.

℞. *Tinct. cantharidum guttas duas,*
Aquae cinnamomi unciam unam.

Dentur doses tales nro. tres. Capiat omni hora dimidiam partem dosis unius. Continuetur in vino.

Die 88. —.

Res eadem ratione incedunt.

℞. *Tincturae cantharidum guttas duas;*
Aqua cinnamomi unciam dimidiam.

Dentur doses tales nro. sex.

Capiat unam omni hora. Continuetur in vini usu. Dein ad vesperas

℞. *Tincturae cantharidum unc. dimidiam.*

Illiniatur ad crura & ad lumbos.

Urinae libras 12. minxit. Alvum semel deposuit.

Repetatur frictio cum tinctura cantharidum; dein:

℞.

℞. *Tincturae cantharidum guttas tres;*
Aquae cinnamomi unciam dimidiam.

Dentur doses sex. Capiat more solito:

Die 90. —.

Urinae pondus est 14. librar.

Repetatur tinctura cantharidum, & dentur vini optimi librae duae, malacensis vero unciae sex.

Tinctura cantharidum continuata fuit absque ulla utilitate usque ad diem 97. morbi. Nullus ad renes dolor observatus est, quamvis dosis tincturae usque ad 80. guttas in die ascenderet: Hoc tempore etiam vesicantia ad lumbos absque morbi levamine applicata fuere.

Die 97. —:

Cum nulla utilitas ex cantharidum tinctura observata sit, sequentia propinata fuere.

℞. *Decocti chinae uncias decem,*
Gummi kino vitello ovi soluti drachmam unam cum dimidia.

Capiat more solito.

Continuet in vino.

Continuavimus in gummi kino usque ad diem 107. morbi, & quamvis magna dosi exhiberetur, nempe ad unciam unam cum dimidia in die, attamen aegrotus nullum levamen habuit; immo

res in peius quotidie ruebant. Quare ad alia transivimus remedia.

℞. *Cupri ammon. granum unum,*
Sacchari albi scrupulum dimidium.

M. Capiat ter in die dosin talem.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem.*
Extracti corticis eiusd. drachmas duas,
Mucilag. arabici unciam unam.

Capiat more solito.

Continuetur in vino.

Haec remedia per tres alios dies, nulla subsequente in morbo mutatione, assumpsit miser, qui, quum singulorum pharmacorum inutilitatem videret, propriam petiit domum. Ibi pauco tempore elapso, vitam cum morte mutavit.



CAPUT IX.

Hydrops.

Ex quatuor aegrotantibus, quos, *Ascite* affectos, in Clinico Instituto pertractavi, unius tantum historia memoratu digna mihi videtur. Cunctos hosce aegrotos, hydrope a caussa locali producto affectos fuisse, vix dubito. Docet id sectio cadaveris aegri, cuius postea historiam proferam, ac omnium remediorum, quae adhibita fuere, inutilitas;

tas; quare tres ex infirmis ob morbi nimiam durationem domum, morbo adhuc detentos, mandavimus.

Praeter hydropem illum, cui vitium quoddam locale ansam porrigit, duo alia huius aegritudinis genera admittenda esse censeo. Non enim unusquisque hydrops; qui a morbo totius systematis originem ducit, *debilitatis* est effectus. Hanc scilicet tum BRUNONIS (*a*), tum WEIKARDII (*b*) sententiam, duce experientia, meam facere haud possum. Non tam rari sunt *hydropes* vere *sthenici*, in quibus auxilia antiphlogistica, immo hinc inde ipsa venae sectio, requiruntur. In Clinico Instituto pluribus abhinc annis foeminam asciticam," vino potius deditam, quae antea excitantium sub usu de die in diem in peius ruebat, venae sectione repetita sanatam observare mihi licuit. Nuper a Patre optimo in Clinicum Institutum Ticinense puella anasarca detenta suscepta est, cuius morbus a corroborantibus manifeste augebatur. Propinato cremore tartari, nitro, urinae mox fluxerunt, atque brevi temporis spatio convaluit. Hydrops ille qui saepe scarlatinam sequitur, non raro solius venae sectionis usu curationem admittit (*c*). Frequentius, quod omnes fatentur, *anasarca* indolem inflammatoriam assumit. Videtur autem hoc ipsum non tamen saepe ab ipso morbi initio, quam sub eius progressu contingere. Miri huius phaenomeni caussa ex duplici ratione mihi pende-

 re,

(*a*) Elem. Med. BRUN.
(*b*) WEIKARD Med. pract. Handbuch p 276.
(*c*) BORSIERI Institut. Med. Vol. II. §. 90. ---- Avvisi sopra la salute umana. V. III. ---- Comment. de hodierna Hetrusca Clinica. Ioan. CALVI.

re, videtur. Praeter illud enim, quod a dispositione phlogistica aquae inter cutem & carnes colligi possint; possunt & hae ipsae maiori copia stagnantes, in hominibus aliquomodo adhuc in phlogosin dispositis, tum *extensione solidorum*, has aquas continentium, tum *compressione vasorum* copiosorum, qua sanguis aliena in vasa dirigitur magis, stimulum inflammatoriae affectioni faventem inducere.

Omnes igitur hydropes, qui caussam localem minime agnoscunt, pariter ac caeteros morbos, in *phlogisticos* & in *asthenicos*, dividerem. Hos ultimos illis longe frequentiores esse, nemo negabit. In hydrope phlogistico singula evacuantia, uno verbo debilitantia proficua cernuntur; in illo vero, cuius caussa in debilitate posita est, haec remedia cane peius & angue fugienda sunt. Omnia ab excitantibus tunc expectare debemus. Cum cortice peruviano & radice serpentariae virginianae hydropem in Nosocomio Ticinensi cito sanavi. Alteri aegroto ope unguenti mercurialis, porrecto simul vino lautoque victu, sanitatem restitui. *Nullum hinc datur remedium specifice diureticum*. Ubi lotium ob diathesin phlogisticam non recte procedit, ibi debilitantia, contrario in casu, scilicet ubi atonia urinae secretionem perturbat, tonica, diureticam virtutem exercent.

Minime tamen negaverim, quaedam pharmaca praeter stimuli, quo super universum corpus agunt, rationem, corporis partem magis afficere, ac ibidem praecipue actionem suam exerere. Hac ipsa de caussa *scillam marinam*, *digitalem purpuream* (*a*), *mer-*

(*a*) *Digitalis* quoque *epiglottidis* usum hic loci commendare mihi concessum sit, quippe qui multis experimen-

mercurium, aliaque, dum de hydropis asthenici curatione agitur; caeteris excitantibus, quae totum systema aequali vi afficiunt, roborantque, anteponenda sunt. Summam horum remediorum virtutem, simul aliis roborantibus porrectis, ac praesertim concesso victu animali cum vino, non semel compertus sum. Ubi vero hydrops a caussa locali producitur, omnia auxilia, sive antiphlogistica, sive excitantia inutilia prorsus evadunt (*a*).

mentis instructus de huius remedii utilitate in hydrope atque in aliis morbis a virium vitalium languore lento exortis, satis superque pro certo habeo. Sequentibus distinguitur notis: *Digitalis epiglottis: Nova ex Pannonia species: ex Classe* Didynamiae, *& ordinis* Angvospermae. ---- *Essentia speciei consistit in corolla subglobosa, bilabiata: labio superiore longissimo, ostium storis obtegente. Habitus plantae accedit ad digitalem ambiguam; sed grandior & vitae biennis*. Praescribitur in pulvere, ex foliis plantae, ad dosim gran. semis, vel gran. unius ter, quaterve in die. Ipsius vim medicam illam digitalis purpureae, aliarumque uti ambiguae & luteae, superare mihi videtur; atque aegrotus sub ipsius usu, quamquam magno, neque de angustia, neque de cardialgia, neque de dolore in supercilio conqueritur, uti contingit, quoties medici largiorem digitalis purpureae dosim praescribunt. Alio tradam loco (*Ratio medendi Vol. I. Tab. I.*) huius plantae historiam physicomedicam & icon (*Editor*.)

(*a*) In hydrope a caussa locali producto, non solum morbus ab atonia & virium vitalium prostratione pendet, verum etiam ex secretione adaucta, & simul resorptione impedita exoritur. Huius hydropis species utplurimum in abdomine contingit ex viscerum abdominalium infarctu, vel praeternaturali incremento; quam in rem mercurialia praecipue laudarunt LYSONS (*Medic. Transact. Vol. III.*) & alii. Verum non semper mercurialium actionem libenter patitur aegrotans, neque hydrargyrus uniculque corporis conditioni consonus videtur. Qua de re hoc in casu ad aliam medendi methodum

Casus hic eheu! nimis saepè curantibus sese offert. En eiusdem luculentissimum exemplum.

HISTORIA (*a*).

Ioseph Biroli iuvenis 22. circiter annos natus, bachanalium tempore vix praeterlapso, postquam largam vini copiam, ac magnam carnis sale conditae portionem ingurgitaverit, derepente a vomitu correptus est. Dolores circa regionem iliacam sinistram adsociati sunt emesi. Febris, quae sub hisce rerum conditionibus quoque in conspectum prodiit, paucos post dies, sponte insimul cum vomitu & abdominis cruciatibus disparuit. Per quatuor circiter dies secunda valetudine aeger gavisus est, quo tempore elapso, singula vix memorata symptomata rediere. Post biduum vero iterum vomitus disparuit, remanente tamen febre, quae aegrum per viginti dies detinuit. Accersitus Chirurgus venae sectionem instituit, qua peracta, faciei, extremitatum inferiorum tumor in conspectum venit. Inflatur paulo post & abdomen, adparente simul diarrhoea. Sitis de die in diem au-

---

dum confugere coactus fui. Scillae nempe maritimae, vel digitalis epiglottidis pulvis solvatur in salivae, vel succi gastrici sufficienti quantitate, & axungiae porcinae ope fiat linimentum. Hoc linimento lumborum regio, coxarum interior pars confricantur eo ipsomet momento, quo aegrotans medicamentis resolventibus in viscerum abdominalium morbosis incrementis indicatis utitur. Hac medendi methodo plures aegrotantes curare potui, inter quos praecipue unius historiam contemplatu dignissimam (*Commentarj Medici Decade prima Tomo II.*) meo in opere periodico recudi curavi (*Edit.*)

(*a*) Hanc historiam D. Doct. *Celsus* CIANI *Senensis* descripsit.

augetur, imminuitur vero lotium. Idem Chirurgus sal amarum aliaque debilitantia propinavit. Hydrops tamen quotidie maior fiebat. Tussis, quae cum sputis non sanguineis absolvebatur, accessit. Respiratio expedita erat, hinc inde tamen aeger palpitationem cordis patiebatur. Duos menses sub tali statu domi trivit, quo tempore elapso, Clinicum Institutum die 11. Maii ingressus est. Totius corporis anasarca mox observavimus. Venter valdopere ob aquas tumebat. Cordis creberrimi ictus multum irregulares cum pulsu nequaquam correspondebant. Respiratio vero semper facilis comparuit. Cutis sicca, calor naturalis, pulsus parvi, debiles valdeque frequentes, tussis cum exscreatu, sitis magna, ac urinae parcae, fere nigrae. Diarrhoea continuabat.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Aquae menthae uncias duas,
Oxymelis squillitici unciam unam.
M.

Capiat omni hora unciam unam.

Diaeta 3. cum vini libris duabus.

Mane 12. Maii.

Noctu paululum dormivit, ter alvum deposuit, urinae non multae, pulsus non tam debiles.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Extracti corticis eiusd. drachmas duas,
Liquor. anodyn. drachmas tres,
Oxymeli scillit. unciam unam.
M.

Ca-

Capiat ut supra.

Vespere.

Urinae auctae sunt, bis alvum deposuit.

Repetatur medicina.

Mane 13.

Urina augetur; tussis increvit.

Repetatur medicina.

Mane 14.

Febricitat, pulsus durus, calor cutis auctus.

Quum a methodo excitante potius damnum conspeximus, seposito vino ac diaeta animali probibita, cremorem tartari cum nitro *porreximus.*

Vespere.

Alvum ter deposuit, pulsuum frequentia minor, calor cutis quoque imminutus.

Nil praescriptum est.

Vespere.

Diarrhoea increvit, vomitum semel passus est. De summa debilitate conqueritur.

℞. *Decocti corticis peruviani,*
Emulsionis arabicae ana uncias sex.
M.

Ca-

Capiat omni bihorio uncias tres.

Instituatur Paracenthesis.

Vespere.

Paracenthesis ope XXIII. librae aquae eductae fuere. Tussis ac febris auctae. De sat magna anxietate aeger conqueritur.

Continuetur in medicina.

Mane 16.

Nil novi.

Repetatur medicina.

Illiniatur unguento mercuriali ad drachmam dimidiam.

Mane 17.

Urinae auctae; alvum non deposuit.

Repetantur singula.

Mane 18.

Noctu dormivit, urinae copia eadem, sed venter iterum intumescit.

Repetantur singula.

Mane 19.

Venter iam pristinam molem acquisivit, ter al-

alvum deposuit, stupidum cum pulsu valde frequente, parvo ac inaequali aegrotum conspeximus.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Aetheris vitriolici drachmam unam.
M.

Capiat omni ½. hora unciam dimidiam.

Habeat vini rubri libras duas.

Vespere.

Cibum evomuit; caeterum nil novi.

Repetatur medicina.

Mane 20.

Post hesternam visitationem aeger pessime se habuit. Comparuit nempe summa anxietas, ac respirandi difficultas, sub qua facies nigrescebat.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Spiritus nitri dulcis drachmas duas.
M.

Capiat ut supra.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Vespere.

Anxie ac summa cum difficultate respirabat.

Ma-

Mane 21.

Omnia in peius ruunt. Revera post trihorium a visitationis tempore, aeger cadaver erat.

Historia sectionis.

Thorace lege artis aperto, mox infra sternum oculis se obtrudit tumor praegrandis, fluctuans, totam fere thoracis cavitatem replere visus. Pulmones mole naturali longe minores ab hoc tumore quasi compressi in posteriorem cavi partem confugiebant, sed sani, substantia integri, neque ad superficiem inflammati; his elevatis ad fundum utriusque pleurae, sacci purulenta aqua repleti deprehendebantur, ast quantitate perexigua.

Tumorem illum nunc accuratius perspectum pericardium esse constabat, ingenti modo expansum, ita ut adiacentibus partibus rescissis pondus librarum XI. aequaret. Illa dein pericardii portione, quae centro tendineo diaphragmatis adhaeret, cauta manu dissecta, purulenta materies magna vi ad libras circiter sex erupit.

Effluxo e pericardio liquido, eiusdemque pariete antica a septo transverso abscissa & in superiora conversa, rarissimum Adstantes mirari phaenomenon potuerunt: tota enim, & amplissima pericardii cavitas vacua se ostendebat, sine ullo cordis vestigio.

Erat enim cor ope lymphae coagulabilis, quae vigente inflammatione secreta fuit, ad posteriorem pericardii partem arcte agglutinatum, & ad anteriora a pseudo-membrana ita obductum, ut oculis sese absconderet.

In abdomine nihil notatu dignum aut ad rem pertinens detectum est, si hepar excipias mole auctum

ctum & partibus vicinis hinc inde morbose concretum.



CAPUT X.

Morbi convulsivi.

VEtula asthmate convulsivo, omni fere hyeme redeunte; iam a nonnullis annis laborans, in Clinicum Institutum cum symptomatibus quibusdam hydrothoracis recepta est. Incassum ibi *gummi ammoniacum*; *decoctum corticis peruviani*, *opium*, aliaque excitantia seu, ut vulgo dicunt, antispasmodica adhibuimus; nam misera post quindecim circiter dies obiit (*a*).

Puellam epilepticam per mensem cum remediis excitantibus ita tractavimus, ut paroxysmi, licet hinc inde in conspectum sese prodidissent, longe tamen rariores ac mitiores minusque diuturni redditi fuerint. Aegrota tunc sponte, nobis nolentibus, Nosocomio valedixit (*b*).

Praeter allatos aegrotantes, nullus morbo convulsivo detentus, Clinicum Institutum ingressus est, si puellam diro singultu chronico affectam excipiam, quem, inutiliter adhibitis prius *opio*, *moscho*, *aethere*, *castoreo*, *valeriana*, *assa foetida*, cor-

---

(*a*) Hanc historiam conscripsit *Iacob.* GIOVANELLI Tyrolensis.

(*b*) Hanc historiam conscripsit D. D. *Ioannes* NICOLINI Mediolanensis.

cortice peruviano, tandem cum *floribus zinci* perfecte sanavi, cuiusque historiam utpote attentione Medicorum dignissimam nunc exponere aggredior.

HISTORIA (*a*).

Orphana a prima nativitate, miserrimam vitam, inediam inter & febres intermittentes, usque ad decimum secundum aetatis suae annum, perduxit, quo tempore in orphanotrophium pie suscepta est. Ibidem vix pristinum vivendi modum cum meliori commutavit, nam ad labores, debili puellae compagini minime accommodatos, coacta, victu haud nutriente utens, non raro verberibus caesa, pathematibus animi deprimentibus vexata, de die in diem magis magisque debilitabatur. Sub hac rerum positione puella ad decimum septimum aetatis suae annum, cathamenia parva copia ac irregulariter quovis fere tertio mense passa, perducta est. Tunc temporis, mense scilicet septembris anni 1794, a dolore punctorio valde acuto, ad thoracis latus sinistrum, inter quintam ac sextam costam veram sedem suam figente, prehendebatur. Dolori huic, febris quaedam lenta, nunc more continuarum, nunc sub intermittentis specie, ingrediens, successit. Mense novembris eiusdem anni, ne quid mali deesset, perseverantibus dolore illo ac febre, *singultus* oritur, qui diu noctuque graviter admodum saeviens, fractas aegrotae vires magis magisque imminuit, dolorisque illius sensum longe plus adauxit.

In

(*a*) Hanc historiam D. D. *Alexander* MORESCHI Mediolanensis conscripsit.

In auxilium (potius in perniciem) vocato Medico, venae sectiones instituuntur, ac repetito alvum ducentia remedia consuluntur. Quum ab hac methodo nil boni observaretur, immo quum quotidie puellae salus in peius rueret, denique *moschus*, *ipecacuanha*, *opium*, *vesicantia*, nec non sic dicti *anthelmintica*, aliaque incassum praescripta fuere. Nono, a febris ac doloris ingressu, mense, septimo vero singultus, Clinicum Institutum, die 14 Maii anni 1795 ad vesperas, sequentia efferens, petiit.

Vehemens singultus, suffocationem non raro minitans, qui in platea, centum circiter passibus a Nosocomio distante, a praetereuntibus persentiebatur, aegrotam incredibili vi, ita quidem convellebat, ut saepe vix loqui potuerit. Dolor thoracis abhinc non parum augebatur. Abdomen molle.

Caput intense dolebat, ac de aurium tinnitu, oculorumque obnubilatione misera valdopere conquerebatur. Adspectus aegrotae erat cachecticus, cutisque albissima observabatur. Facies interim hinc inde, praesertim vero sub paulo fortiori singultu, valde rubebat. Pulsus parvi ac frequentes admodum erant. Nulla febris observata est. Debilitas totius systematis clare nobis necessitatem methodi excitantis monstrabat, quin ab ipsa multum expectare nobis liceret: cum de vitii organici praesentia, ob morbi longitudinem ac inutilitatem remediorum antispasmodicorum, quae ab altero Medico adhibita fuere, non inconsulto suspicio alimentaretur. Nihilominus sequentia propinavimus:

℞. *Emulsionis arabicae uncias sex,*
Haustus narcotici uncias tres.
M.

Ca-

Capiat omni dimidia hora cochleare unum.

℞. *Infusi chamomillae uncias sex.*
Assae foetid. vitel. ovi solutae drachmam unam.

Detur pro clystere. Injiciatur omni trihorio dosis similis.

Diaeta 3.

Die 19 Maii. Mane.

Nox insomnis fuit, & dolor eadem vi continuabat. Singultus frequentia, sed non vi imminutus.

Repetatur medicina; augeatur tamen haustus narcoticus ad uncias quatuor.

Repetantur enemata & diaeta.

℞. *Vini malacensis uncias septem.*

Hora I. pomeridiana.

Singultus adeo increvit, ut, de vitae aegrotantis timentes, sequentia praescripserimus.

℞. *Aquae cinnamomi uncias duas,*
Laudani liquidi Sydenhami scrupulum unum.

M.

Capiat omni quinto minuto cochleare dimidium.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias sex,*
Laudani liquidi Sydenhami scrupulum unum.

Detur pro clystere. Dentur doses tales Nro. III.; iniiciatur omni hora dosis.

Medicinam evomuit; quare omni hora granum unum opii in pilula porrigebatur. Dein

℞. *Linimenti volatilis uncias tres.*

Illiniatur abdomini.

Hora. IV.

Iterum vomitum passa erat, singultus tamen imminutus fuit.

Quare cibum ex ovo; vino, ac sacchara paratum propinavimus.

Vespere.

In eodem statu invenimus aegram.

℞. *Opii puri grana sex,*
Mosch. optimi,
Extracti corticis peruviani ana drachmam dimidiam.

M.

F. cum syrup. simpl. massa pil. divid. in XXX. p. aeq. cap. nro. III. omni bora.

℞. *Vini malvatici uncias sex.*

Renoventur clysmata, & cibus ille ex ovis. Habeat praeter diaetam tertiam, dimidiam pulli partem, cum vini rubri libris duabus.

Ma-

Mane 20.

Noctu per trihorium dormivit, ac singultus valde mitis observabatur, rediit vero ipse, revertente die, nova vi. Dolor pectoris ille cum abdominis cruciatibus miseram quoque detinebat.

Repetantur pilulae, augeatur moschi dosis ad grana LX. Repetantur singula, ac fomentationes emollientes ad abdomen applicentur.

Vespere.

Aliquantisper melius se habebat.

Continuetur in pilulis. Dein

℞. *Aquae cinnamomi,*
Haustus narcotici anà uncias quatuor.

Capiat omni horà cochleare unum. Repetantur reliquà.

Mane 21.

Nox placida fuit. Dolores ad pectus atque ad abdomen imminuti. Singultus tam vi, quam frequentia minus vehemens. Alvus semel laxata. Adspectus quoque melior.

℞. *Aquae cinnamomi,*
Haustus narcotici ana uncias quinque,
Extracti corticis peruviani drachmam unam.
M.

Capiat omni ¼. horae cochleare unum.

Repetantur reliqua & vini malvatici unciae novem.

Vespere.

Singultus iam a trihorio valde exasperatus. Aegrota medicinam, a qua pondus ad ventriculum persentit, aegre assumit, ac de vertigine conqueritur.

℞. *Aquae cinnamomi uncias quatuor,*
Haustus narcotici uncias sex.

Capiat ut supra. Repetantur caetera.

Mane 22. Maii.

Hac nocte singultus & dolores non adeo molesti, ut heri vespere, fuere. Bihorium placidus somnus perduravit. Omnem assumpsit medicinam. Pulsus naturalis.

Repetatur medicina, cui adde moschi optimi drachmam semis.

Continuetur in victu &c.

Vespere.

Quum e lecto surgere voluisset, vertigines passa est. Caeterum eodem modo se habet.

Repetantur omnia.

Mane 23.

Nox fuit insomnis, dolores ventris post enema-

matum applicationem, insimul cum illo thoracis, ac singultu, recruduere.

Seponantur clysmata.

℞. *Haustus narcotici uncias octo,*
Aquae cinnamomi uncias sex,
Moschi optimi scrupulum unum.

Capiat more solito.

Ingrediatur aegra balneum ad grad. 29. Reaum.

Vespere.

Pluries in balneo syncopen passa est. Caetera eodem modo.

Continuet in omnibus.

Mane 24.

Aliqu-ntisper nocte elapsa dormivit, dolores insimul cum singultu remiserunt.

Repetantur singula:

Vespere.

Nova vi continuat impetuosus singultus.

Continuet in praescriptis.

Mane 25.

Dormivit, summamque capitis gravedinem accusat. Singultus vix aliquomodo remisit.

Vespere.

Eodem modo.

Continuet in medicina.

℞. *Infusi chamomillae uncias sex,*
Assae foetid. vitello ovi solutae drachmam unam.

M.

Dentur doses tales nro. IV. Iniiciatur una omni quatriborio.

Mane 26.

Hac nocte aliquantisper quievit, & quum aegrorum custos evigilare eam noluerit, omnia remedia haud assumpsit, qua de caussa iussimus, ut reliquam medicinam sumeret. *Diaetam eandem semper concessimus.*

Vespere.

De ardore stomachi conqueritur. Caetera symptomata, praesertim vero dolor ille, eadem ratione continuant.

℞. *Emulsion. arabicae libram unam.*

Capiat paulatim.

App. vesicans ut rubefac. sub mamma sinistra.

Mane 27.

Fere nunquam dormivit, ob doloris intensita-
tem

tem ac singultus vim. De summa debilitate conqueritur.

℞. Decocti corticis peruviani uncias novem,
Castor. drachmam unam,
Aquae cinnamomi,
Syrup. papav. alb. ana unciam unam.

Capiat omni hora unciam unam.

Appl. thorac. cucurbitulae siccae nro. X.

Iniic. clyst. ex assa foetid.

Vespere.

Non assumpsit omnem medicinam, caetera symptomata ac dolor remisere. Alvus bis laxata.

Capiat reliquam medicinae partem.

Mane 28.

Omnia in melius. Bene dormivit, ac singultus imminutus.

Repetatur medicina. Continuetur in reliquis.

Vespere.

Summus capitis ac ventris dolor. Singultus maxima vi urget.

Repetatur medicina. Iniiciatur clyster ex assa foetida.

Mane 29.

Eodem modo misera se habet.

Repetatur medicina.

Vespere.

Nil mutatum.

Repetatur medicina.

Mane 30.

Nunquam nocturno tempore dormivit, violens singultus ita continuavit, ut oculos per minutum claudere haud potuerit. Alvus aperta, sed dolores abdominis continuant. Rebus ita se habentibus, considerata morbi longitudine, remediorumque inutilitate, aegrotantem utpote incurabilem ad orphanotrophium remittendam esse existimavimus. Quum unus ex Commilitonibus (*a*) usum *florum zinci* proposuerit; illius consilio, sine magna in hoc remedium fide, annuentes, sequentia propinavimus.

℞. *Florum zinci granum unum,*
Sacchari albi scrupulum unum.
M.

Fiat pulvis: dentur doses tales nro. II.

Ca-

(*a*) A. D. *Adolph.* OTTO Germanus.

Capiat unam mane, alteram ad vesperas.

Vespere.

Singultus tam vi, quam frequentia aliquantisper est imminutus, dolores etiam quodammodo remiserunt, quievit, sed vertiginibus hinc inde affecta est.

Repetantur pulveres.

Mane 31.

Hac nocte melius se habuit. Singultus magnopere imminutus est, nec ventris dolores adeo ut alias urgent, alvus vero iam a quatuor diebus clausa.

Repetantur pulveres. Auge dosin flor. zinci ad grana tria.

Iniiciatur clyster ex assa foetida.

Vespere.

Alvus laxata. Tantum semel aut bis omni hora singultum sat levem patitur. Adspectus melior fit.

Continuetur.

Mane 1. Iunii.

Placide per totam noctem dormivit, singultus admodum rarus, sed quando insurgit, vehemens est. Dolor punctorius pectoris, ac abdominis cruciatus protinus disparuere. Alvus laxata.

Re-

Repetantur pulv.; auge flor. zinci dosin ad grana sex.

Vespere.

Singultus relate ad vim remisit. Caeterum nil novi.

Continuet in singulis.

Mane 2.

Bene noctem transegit. Singultus fere extinctus est.

Repetantur pulveres. Habeat ter in die uncias tres decocti corticis peruviani.

Vespere.

Res optime procedunt.

Decoctum chinae nauseam ac stomachi ardorem produxit, quare eodem seposito, haustus narcoticus ad uncias tres praescriptus est.

Mane 3.

Vix decumbens singultit; placide quievit, dolores abdominis iterum hinc inde insurgunt. Alvus clausa.

Repetantur pulv.; auge flor. zinci dosin ad grana novem.

℞. *Decocti chinae uncias novem,*
Syrup. corticis aurant. unciam unam.

Ca-

Capiat ter in die uncias tres.

Iniiciatur clyster more solito.

Vespere.

A pluribus iam horis singultus non insurgit; alvus soluta est. Decoctum chinae minime ardorem stomachi produxit.

Continuetur. Habeat diaetam IV. cum uro, I. Zambajone.

Mane 4.

Singultus in totum disparuit, dolor sub mamma sinistri lateris lancinans aegram excruciat, ac tota nocte insomnem detinuit. Pulsus aliquomodo frequentes, ac pleniores videntur.

Continuetur in decocto corticis.

℞. *Pulv. flor. zinci grana novem,*
Sacchari albi scrupulos duos.
M.

Divid. in V. p. aeq. cap. omni trihorio unam.

Vespere.

Dolor ad pectus disparuit, & omnia in melius.

Aegrota ab illo tempore eadem cum methodo pertractata est usque ad finem mensis Iunii, quo tempore sanata prorsus ac robusta nosocomium dereliquit; & nunc iam per annum optima gaudet valetudine.

CA-

CAPUT XI.

Lues venerea.

QUum in Clinicum Institutum Chirurgicum quamplurimi aegroti venerei a celeberrimo illius instituti Professore, *Antonio* SCARPA, recipiantur, tyronesque sic satis, circa huius morbi naturam ac curationem edoceantur, paucos lue detentos aegrotantes apud nos pertractari mos est. Ego tamen septem aegrotos syphilide affectos, in Clinicum Institutum, cui praefixus eram, suscepi, qui singuli, praeter foeminam quandam, varias ob rationes ante curationem perfectam ad suos missam, sanati e nosodochio egressi sunt.

Varias praeparationes mercuriales, praesertim vero *mercurium sublimatum corrosivum* opio nuptum, in aegrotis non adeo sensibilibus, ac in illis, qui nullam pulmonis labem praeseferebant, summo cum fructu adhibui. Sequenti formula utor:

℞. *Mercurii sublimati corrosivi grana quatuor,*
Solve lege artis; Adde
Opii puri grana duodecim,
Extracti corticis peruviani scrupulum unum.
M.

Fiat cum syrupo simplici massa pilular., quam divide in XVI. partes aequales.

Ab initio dosin unam vel alteram quaque die, aqua solutam, propino. Si stomacho ieiuno cardialgia oritur, tunc pilulae ientaculum praemittere iubeo, quo fit ut imminuta huius organi sensibilitate, remedium facilius perferri ab aegroto possit. Sub morbi decursu demum non raro tres doses, rarissime vero quatuor, sumendas suadeo.

Quo

Quo tempore sublimatum praescribo; semel tantum cholicam abhinc ortam observavi (*a*), quae tamen exhibito primum sic dicto *hepate sulphuris* absque levamine, dein emulsionis arabicae sub usu, cui parvam opii dosin adieci, cito disparuit. Rarissime salivationem sub praeparatione mercuriali, de qua loquor, ortam esse conspexi.

Nunquam morborum venereorum curationem *soli* mercurio confido; constanter enim opium, balnea calida, corticem peruvianum, diaetam lautam, vinumque, aegrotantibus consulere sum usus.

An luis perfectam sanationem, absque mercurio, excitantium sub usu, obtinere queamus, ardua est quaestio (*b*). Quam nunc exponere aggredior

---

(*a*) Sublimatum corrosivum saliva solutum (*Commentarj Medici. Decade I. Tom. I. pag. 146.*), & adipis suillae depuratae ope sub linimenti forma relactum pluries in Clinico Instituto adhibui, frictiones nunc ad brachia, nunc ad coxam, nunc ad crura praescribendo. Omni trihorio vel quadrihorio frictio cum sublimati granis quatuor vel sex instituebatur. Frequenter cholici dolores insurgebant, qui quandoque aegrotantem per horas cruciabant. Sola frictionum intermissione dolores evanescebant, nulloque alio remedio uti, constanter coactus fui (*Editor*).

(*b*) Absque mercurialium usu luis sanationem persolvere posse non dubito. *Oxyginii* actioni luis curatio tribuendam esse mihi videtur. *Acido nitrico, oxyginio saturato*, aqua diluto luem pluries sanasse affirmat DUNCAN celeberrimus; feliciori eventu hanc methodum bis sequutus sum. Praescribebam nempe acidi nitrici oxyginio saturati drachmam in aquae fontis libris duabus, quam repetitis vicibus sumebat aeger intra nycthemeri spatium. Iam alio loco dixi (*Commentarj l. c. p. 64.*), efficaciorem fore in luis curatione illam mercurii praeparationem, quae maiorem oxyginii quantitatem exhibet. Quo vero ad opii in luis venereae curatione actionem, alio dicam loco (*Sylloge Opusculorum Vol. II.*), quae sentio, & in praxi confirmata habere potui (*Editor*).

dior historiam, affirmative potius respondet. Lectori benevolo, hanc ut ipsam accurate examinet ac videat, an revera a lue affecta aegrota fuerit, relinquo. Ego enim id solum sancte asserere possum, foeminam nunquam mercurium assumpsisse, & a morbo venereo, nisi valdopere fallar, sanatam fuisse.

HISTORIA (a).

Rosa Ragni ex S. Alessio, Dominico Presi Papiensi nupta, triginta annos nata, parce menstruata, semper hucusque secunda valetudine gavisa est. Mense novembris anni 1794, quo tempore maritus blennorrhoea laborans in Nosocomio degebat, & aegrota nostra ab eodem morbo sese prehensam vidit. Praeter consueta blennorrhoeae symptomata, ulcera ad genitalia comparuere, quae tamen paucos post dies, nullo adhibito medicamine, evanuerunt. Continuante aequa vi profluvio e genitalibus, amica quaedam, aegrotae nostrae consilium dedit, ut balneo tepido pedes quotidie committeret. Tria sic adhibita balnea, fluxum, omniaque symptómata sistentia, spem miserae de recuperata valetudine offerebant. Verum mox sub molestissimo pruritu maculae roseae, glabrae, a lecti calore copiosius prorumpentes, absque cutis desquamatione disparentes, absque cutis desquamatione disparentes, ad pectus, inguina, antibrachium, coxasque effloruere. Hisce sensim sine sensu bubo in inguine sinistro, motum impediens, valdeque dolens, associatus est. Quindecim circiter

(a) A D. Doct. *Faustino* PERINI Mediolanensi descripta.

ter ante dies, praeter symptomata hucusque memorata, dolores ad scapulas, brachium & genu sinistrum, noctu sese exacerbantes, sese prodiderunt. Die 17. ianuarii anni 1795. in Clinicum Institutum suscepta aegra sequentia nobis obtulit.

Pudenda scilicet levi phlogosi correpta, & muco cooperta sunt. Ulcera nulla. Mingendo, ardorem persentiebat. Bubo eodem modo sese habens, sub compressione valdopere dolebat. Fauces aliquantisper dolore ac rubore afficiebantur, ulcera tamen ibidem non comparuere. Cutis efflorescentia rubrum, sed pallidum dolorem, praeseferebat. Propinavimus sequentia:

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Laudani liquidi Sydenhami guttas quindecim;
Syrupi corticis aurant. unciam unam.
M.

Capiat omni bihorio uncias duas. Ingrediatur balneum calidum ad 29. gr. ther. Reaumur. Applicetur buboni cataplasma ex lacte e mica panis confectum.

Diaeta tertia.

Vespere.

Fassa est, dum in balneo haerebat, se melius ac facilius brachia movere potuisse. Dolores moderati fuerunt.

Capiat binis vicibus haustus narcotici uncias duas.

Mane 19.

Bene dormivit, dolores mitiores sunt, aliqua irritatio, tensio & durities apparet in inguine dextro, quin glandulae moles aucta sit.

℞.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Laudani liquidi Sydenhami guttas viginti,
Syrupi papaveris albi unciam unam & semis.

Capiat ut supra.

Linimentum volatile buboni dextro, sinistro vero, cataplasma anodynum, imponatur.

Repetatur balneum ad grad. 24. Reaumur.

Vespere.

Conquesta est de balneo nimis frigido.

℞. *Haustus narcotici uncias tres.*

Capiat sex vicibus.

Mane 20.

Ardor mictionis aeque ac fluxus disparuerunt. Optime quievit, dolores minores.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Laudani liquidi Sydenhami scrupulum unum,
Syrupi corticis unciam unam & semis.
M.

Capiat ut supra.

Repetantur linimentum, & balneum ad 40. *grad.*

Vespere.

Vestigia exanthematis vix adsunt.

℞. *Hau-*

℞. *Haustus narcotici uncias tres.*

Capiat more solito.

Instituantur frictiones cum panno laneo ad brachium dextrum.

Mane 21.

Dolores minores, bubones paulum decrescunt; sed infarciuntur glandulae fere omnes ad collum.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Laudani liquidi Sydenhami guttas triginta,
Syrupi corticis unc. unam cum dimidia.

Repetantur caetera.

Vespere.

Doloribus ad calcaneum conflictata fuit. Caetera in melius.

℞. *Haustus narcotici uncias tres.*

Mane 22.

Optime quievit; fassa est se ante pubertatem scrophulosam fuisse. Dolor capitis & proclivitas in somnum paulisper augentur, dolores tamen imminuuntur.

Repetatur medicina heri mane praescripta.

Habeat vini optimi libras duas.

Vespere.

Sub magnis abdominis doloribus alvum deposuit abundanter.

Repetatur haustus narcoticus.

Mane 23.

Capitis oppressio & aliqua in somnum, sed non molesta, proclivitas cum gingivarum irritatione. Dentes vacillant sub masticatione.

Repetantur singula ut heri mane.

Vespere.

Dolor capitis continuat, glandulae colli & inguinum adhuc tument.

Repetantur praescripta ut vespere.

Mane 24.

Nox bona. Bubo incipiens in dextero inguine fere in integrum dissipatus est. Appetit.

Repetantur omnia ut mane.

℞. *Vini malacensis uncias sex.*

Diaeta quarta.

Vespere.

Capitis oppressio cum proclivitate in somnum urget, dolores tamen minores.

Repetantur singula ut vespere.

Mane 25.

Nox bona. Circa matutinas horas tussis cum copioso screatu insurrexit; dolores mitiores ita, ut absque gravi incommodo vestes ponere & deponere possit. Bubo dexter fere in integrum disparuit; sinister vero multo imminutus; tumor ad glandulam parotidem, pariter ac efflorescentia ad cutem evanuerunt.

Repetantur omnia.

Vespere.

Nil novi.

Mane 26.

Nox inquieta, levis accessit febris, quae cum calore, quem secutus est sudor, incepit: screatus copiosus aliquibus sanguineis striis tinctus; caetera eodem modo. Caput dolet, noctu artuum dolores molestissimi fuerunt.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Haustus narcotici uncias quatuor,
Capiat omni $\frac{1}{4}$. *horae cochleare unum.*

Repetantur balneum; linimentum volatile, frictiones cum panno laneo, & vinum malacense.

Diaeta quarta.

Vespere.

Tussis hodie mitis fuit absque screatu, ambu-

lavit extra nosocomium, nec dolores exacerbati fuere, pulsus frequentes.

Repetantur omnia.

Mane 27.

Aliqua febricula noctu in conspectum venit; tussis cum screatu absolvebatur: sudavit profuse praesertim ad caput, quod dolet. Artuum dolores mitiores, bubones fere subsiderunt, debilitas aliqua.

Repetatur medicina ut mane, cui adde sacchari drachmas duas.

Repetantur externa remedia.

Vespere.

Tempore prandii fere in lipothymiam incidit, sudavit in balneo.

Repetatur medicina ut vespere.

Mane 28.

Sudavit, tussis minus quam antea viget, dolores ad calcanea accusat; nunc bene se habet, sed debilis est, parvum appetit.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Extracti corticis eiusdem drachmas tres,
Haustus narcotici uncias quatuor,
Sacchari albi drachmas tres.

Capiat ut supra.

Re-

Repetantur externa remedia & diaeta.

Vespere.

Sudavit in balneo.

Repetantur singula ut vespere.

Mane 29.

Parum hac nocte dormivit ob vicinae aegrotantis inquietudinem, sed quod mirum, dolores parum vel nihil exacerbabantur; sudavit quamplurimum, non tussiit, aliquis capitis dolor, colli glandulae lymphaticae volumine acutae.

Repetantur omnia ut mane.

Vespere.

Sudavit quamplurimum & sudat nunc; cephalaea imminuta, dolores vix aegram molestant, alvum parce deposuit sub magnis conatibus.

Repetantur singula.

Assistens Instituti Clinici Chirurgici, D. BRANCA, mihi narravit, huius foeminae maritum, qui decumbit in alio nosocomii cubiculo, vera lue laborare, atque ante duos menses circiter in nosocomio cum bubonibus inguinalibus, medorrhoea, epididimitide, ulceribus ad glandem & opthalmia receptum fuisse. Ibi adhibitis frictionibus mercurialibus, opio, aliisque auxiliis, cito sanatus fuit. Domum restitutus, post 15. dies denuo accessit graviore ophthalmia affectus. Nunc doloribus articularibus noctu exacerbatis, bubone in-

inguinali, qui suppurationem lentam minatur, detentus, sub mercuriali cura adhuc versatur.

Mane 30.

Sudavit, dormivit, & a doloribus non vexata est.

℞. *Decocti corticis peruviani uncias novem,*
Extracti corticis peruviani drachmas duas,
Haustus narcotici uncias quatuor.
M.

Capiat more solito.

Ut paucis huic nimis longae historiae finem imponam, dicam tantum, aegrotam cum hucusque indicata methodo per alterum mensem pertractatam fuisse, quo nempe tempore Clinicum Institutum perfecte sanata dereliquit. Gratias agendi caussa, post quartam circiter anni partem, iterum nos, optima firmaque valetudine gaudens, aegrota adivit.



CAPUT XII.

Casus varii.

PRaeter aegrotantes, de quibus hucusque locutus sum, alii non pauci, variis diversisque morbis affecti, in Clinico Instituto pertractati fuere. Quum vero limites scopusque huius operis, ut in tot distinctis capitibus de illis loquar, non sinant, pauca tantum circa morborum, a quibus afficieban-

bantur, naturam ac exitum, in medium proferam.

Apoplexia.

Senem, gracili corporis structura incedentem, gravissimis animi pathematibus ante morbi ingressum vexatum, ab apoplexia, quam insecuta est hemiplegia, correptum, cum remediis excitantibus inutiliter, nam post mensem circiter obiit, pertractavi (*a*). Secto cadavere, in sinistro cerebri ventriculo sat largam seri sanguinei copiam, ex plexu chorroideo pendentem, deteximus, quae interim mala non pro morbi caussa primaria, sed potius pro eiusdem effectu, habita fuere. Methodum excitantem hoc in casu, non auctoritate BRUNONIS ac WEIKARDII (quam tamen magni facio) ductus, sed quia sana ratio eandem postulabat, adhibui. Caussae enimvero, quae aegritudinem induxerunt, symptomata quae ipsam concomitabant, omnia haec, inquam, asthenicam morbi naturam ultro confirmare mihi videbantur. Gracilis etenim, de quo locutus sum, senex, aerem non parum inquinatum in habitatione angusta ac humida respirabat, atque iam per plures ante morbum dies, de summa debilitate, ac appetitus iactura, conquerebatur. Facies erat pallida, oculi moesti, pulsus tardus, sed durus, uti fere constanter in senectute, quo vitae tempore vasa facile rigescunt, observatur. Sub hac rerum conditione venaesectionem (quam tamen ideo non in quavis apoplexia improbaverim) indicatam fuisse,

 cer-

(*a*) Huius morbi historiam D. D. *Venantius* RIGAMONTI exaravit.

certe nemo erit qui dicat. Recte hinc, paucam immo minimam, quae remanebat, spem, in corticis, arnicae, ac vesicantium usu, me posuisse, arbitror; quae auxilia, licet morbum in vitium locale commutatum, sanare non potuerint, nullum tamen detrimentum attulisse, confidenter existimo.

Hepatitis chronica cum febre nervosa incedens.

Puer duodecim circiter annorum, iam semel duobus abhinc annis, in Clinico hoc Instituto ab hepatitide ita quidem liberatus, ut semper aliquem dolorem ac ponderis sensum in iecinoris regione persentiret, iterum, post cibum calide nimis assumptum, pristinum in morbum incidit, ac provecta iam satis aegritudine meae commissus fuit curae. Praeter consueta hepatitidis symptomata dirissimae febris nervosae signa praesto erant. Venaesectio a Medico alio instituta, morbi manifestum augmentum induxit; quare, omnibus rite perpensis, methodum excitantem adhibendam esse statui. Revera sub moschi, opii, vesicantium, sed praecipue sub balneorum calidorum usu, aegrotans brevi temporis spatio sanatus, suam petiit domum. Remanebat vero adhuc durities illa ac ponderis sensus in hepatis regione, quae mala de morbi recidiva timorem nobis incutiebant. Non erravimus: nam post duos circiter menses derepente, nulla evidente caussa porrecta, a pristino correptus est morbo, qui interim, adhibita indicata iam methodo, profligatus fuit denuo. Superstitem visceris duritiem cum frictionibus mercurialibus, non sine conspicuo levamine, aggressus sum, sed aeger taedio affectus, cito nimis Clinicum deseruit Institutum. Ab illo tempore eiusdem bona, vel mala sors, incognita mihi mansit.

Phthi-

Quinque aegrotantes phthisi pulmonali laborantes in Clinicum Institutum, ea ductus ratione, suscepi, ut Tyronibus aliqua omnem medelam spernentis morbi exempla ante oculos ponerem, simulque eosdem, ne morbum, illi, de quo agitur, aspectu modo similem, pro vera phthisi, errore satis communi, declarent, monerem. Numerum sane non exiguum aegrotantium, qui a Medicis parum expertis pro phthisicis declarati fuere, hoc morbo non laborasse, iterum iterumque convictus fui. Sola enim totius corporis, praesertim vero pulmonum, asthenica constitutio, frequenter phthisin, a quo tamen morbo toto coelo distat, mentitur. Gloriantur tunc Medici se phthisin curasse, quum revera nil nisi systematis universi, pulmonumque imbecillitatem sanaverint.,, ,, Aegrotos non paucos, qui a phthisi correpti vi-,, debantur, sanavi; vera phthisi autem laboran-,, tem, *nec unum* curare mihi licuit". Verbis hic Patris optimi usus sum. Quum vero morbi, de quo loquimur, diagnosis primo intuitu tam ardua sit, constanter phthiseos curationem, ne mortis sententiam praepostere pronuntiem, cum remediis excitantibus aggredior. Si tunc per mensem unum aut alterum absque sat conspicuo levamine hanc methodum adhibeam, aegrotum, utpote incurabilem, derelinquo, vel saltem studium omne ad symptomata moderanda impendo. Hunc ut consequar scopum, opium, corticem peruvianum, vel lichenem Islandicum, lac vaccinum, corporis exercitium, victumque nutrientem, propino; quae singula, licet methodo a celeb. SALVADORI commendatae simillima primo intuitu appareant, ab illa tamen quammaxime differunt. Allatas enim potestates incitantes prudenter ac

modica cum vi in usum ducere consuevi; celeb. SALVADORIUS vero illas maximo cum impetu adhibendas esse docuit.

Chlorosis.

Huius morbi, in nosodochiis curatu difficillimi, octo exempla nobis oblata sunt. Eundem verum cum methodo excitante ita pertractavi, ut singulae aegrotantes, licet non omnes perfecte sanatae, longe tamen meliori sub statu versantes, Clinicum Institutum deserere potuerint. Chlorosis vix non semper ex debilitate illa, cui stimulorum defectus ansam porrigit, oritur. Vita sedentaria, desiderati amoris privatio, animi pathemata deprimentia, victus parcus, aquosus, quae toties chlorosin generant, qua enim ratione agunt, nisi debilitatem directam inducendo? Quum vero in hac astheniae specie corpus humanum valdopere fit sensile sive excitabile, parumque stimuli perferre queat; caute admodum a medentibus indicata pharmaca roborantia porrigenda sunt. Solum corticis peruviani frigidum infusum sub hac rerum positione saepe magnas iam turbas concitat. Idem de vino aliisque roborantibus, praesertim vero de opio, quod pharmaci genus, ob nimium, quo agit, stimulum, chlorosi rarissime accommodatum mihi saltem videtur, dicas. Minima huius remedii dosis hic, uti in reliquis a recta debilitate pendentibus morbis, temulentiam, vertigines, sanguinis e naribus stillicidium, aliaque morbosa phaenomena facili negotio generat. Chlorosis hinc curationem, ab initio saltem, cum exiguo admodum stimulo inchoandam esse, unicuique expertus consulo. *Elyxir acidum* HALLERI, in quo medicamine nimia alcoholis irritandi potestas, nescio qua demum ratione, ab adiecto acido sulphurico in-

infringitur, hisce in casibus caeteris omnibus pharmacis anteponendum, duce experientia, puto. Sequenti formula utor:

℞. *Aquae fontis uncias decem,*
—— florum aurantiorum unciam dimidiam,
Elyxirii acidi Halleri drachmam dimidiam,
Syrupi violarum unciam unam.
M.

Capiat omni biborio uncias duas.

Si aegrota stimulum ab hoc medicamine illatum perferre queat, post aliquos dies elyxirii dosin adaugeo, vel eidem novam quantitatem spiritus vini rectificati superaddo. Deleta hunc in modum nimia excitabilitate, seu alio verbo, aucta corporis stimulum recipientis capacitate, sensim sensimque corticis chinae decoctum aliaque fortiora stimulantia propino. Tunc nempe (communi scilicet methodo) *ferrum*, quod ab initio morbi a ventriculo admodum debili, atque a machina nimis sensibili, perferri haud potest, exhibeo. Aliqua enim in primis viis subactione, & solutione martialia utique indigent, quae si ob harum partium imbecillitatem rite perfici non possunt, plurimis molestiis, praesertim vero ructibus nidorosis, stomachi oppressioni, ansam porrigunt. Ad ista vel arcenda vel tollenda salutis incommoda, aromatica, cinnamomum puta & alia, non ubique sufficiunt, quum saepe saepius illa calorem augeant, totumque systema nimis irritent. Ipsa adeo *tinctura martis pomata*, ut vocant, licet hac in praeparatione virtus nimis excitans ferri ab adiecto acido vegetabili castretur, aegrotis maxime sensibilibus debilibusque saepe perparum conducit. Relate ad victum, quem chloroticis suadeo

foe-

foeminis, curam omnem impendo, ut animalis quidem magisque nutriens porrigatur: sed cavere interim oportet, ne ventriculo debiliori nutrimenta eiusdem vires superantia exhibeantur; nam ut aliquis a cibo corroboretur, non solummodo necesse est, ut alimenta assumat, sed etiam ut ipsa digerat ac in bonum convertat chilum; quae res, lippis & tonsoribus nota, BRUNONEM, quidquid obiiciant eiusdem adversarii, latere non potuit. Quoad corporis exercitationem, ad perfectam chlorosis curationem obtinendam, quam maxime necessariam, a nimio eiusdem gradu pariter sensim sensimque ad maiorem ascendendum est. Medici non pauci chloroticarum stimuli perferendi incapacitatem observantes, veramque huius phaenomeni caussam ignorantes, ad diathesis phlogisticae praesentiam praemature concludunt, atque antiphlogistica auxilia hac ex ratione adhibendo, morbi caussam quotidie longe adaugent.

Psora.

Sex aegrotantes, qui psora laborabant, cito, sepositis quibuscumque demum remediis internis, ac nonnisi topicis adhibitis auxiliis, sanavi. Est enim psora, proprie sic dicta atque legitima, cutis solius, ab insecto (*acaro exulcerante* L.) irritatae, vitium, quam scilicet CESTONII (*a*) primum, dein REDII (*b*), experientia confirmatam sententiam, illustris WICHMANNUS (*c*), quem

(*a*) *Giacinto* CESTONI Lettera al Signor *Antonio* VALLISNIERI. Vide opere di Francesco REDI.
(*b*) Ibidem.
(*c*) Aetiologie der Kratze.

quem summi in rebus medicis facio, novis cum argumentis meridiana luce clarius comprobavit. Non negaverim plures dari ad pellem humanam aegritudines, quibus hanc usque ad diem *psorae* nomen impositum fuit, quae tamen cutis mala non ab insecto praedicto, sed vel a totius systematis, vel a solius cutis aut imbecillitate, aut forsitan & nimio vigore, generantur. Impetigines vero istae, licet adspectu psorae admodum similes, cum eadem tamen, quod indolem prorsus alienam ostendant, ac diversa sibi postulent auxilia, nullo pacto confundendae sunt. Nec etenim hic de nominibus, utpote de re exigui satis momenti, disputatur, quum distinctio, de qua agitur, ad lectulum aegrotantium medentes omnino dirigere debeat. Morbi, singuli non minus, quam illi, qui cutem occupant, relate ad caussas, minime vero respectu ad symptomata, dividendi sunt. *Vere scire est per caussas scire*: haec divi BACONIS est sententia. Impetiginum doctrina non ob aliam forsitan rationem tantis in tenebris hucusque sepulta iacuit, iacetque adhucdum, quam quod Medici, qui hanc artis partem tractavere, cutaneorum morborum externum habitum unice fere considerantes, tot distinctas impetiginum species, quot distincta phaenomena in conspectum veniebant, admiserint. Si impetigines, ut singuli alii morbi, in *locales* atque *communes* divisae fuissent, certe in praxi non tam saepe, illae quae e totius systematis vitio propullulant, topicis tantum, atque illae, quibus caussa localis ansam porrexit, internis remediis, pertractarentur. Ipsa psora luculentissimum ultimae sententiae praebet exemplum. Quamplurimi Clinici ad hanc aegritudinem curandam, purgantia, atque decocta varia, *sanguinem*, ut putant, *purificantia*, vel quod adhuc magis delicatulis eorum auriculis arridet,

san-

sanguinem dulcificantia, porrigunt. Ego vero aliorum, Patrisque ipsius exemplum sequens, in psora legitima, dummodo cum alio communi morbo non incedat, remedia tantum topica, praesertim vero *sulphur*, vel *balnea tepida cum hepate sulphuris*, aut *mercurium sublimatum corrosivum in aqua calcis solutum*, exterius adhibeo.

Paucis nunc, quid de *psorae retropulsione* cogitem, ingenue dicam. Si pediculi, crinones, pulices, aliique huius generis hospites, sub remediorum topicorum usu nunquam reprimantur, vel ad interiora deponantur; cur hoc relate ad insectum quod psoram generat, timendum esse somnias? Remedia quae hinc inde incaute ab inexpertis contra psoram adhibentur, possunt utique plura haud exigua generare mala, quae tamen neutiquam retropulsioni impetiginis adscribenda sunt. Si e. gr. mercurium in psora ita adhibueris, ut cutis morbo sanato, alter, ptyalismus scilicet, in conspectum venerit, an tunc salivationem istam psorae retropulsae & ad glandulam parotideam depositae effectum esse dicas? Ast vero, cur aliter hoc phaenomenon explicandum esse credis, quando aliud quodcunque remedium, alia sibi propria incommoda procreat, aut si alterius, & ex caussa interna venientis impetiginis species, psorae adspectu tantum similis, ac si localis esset morbus, cum topicis pharmacis incaute vel importune tractata fuerit.

Porrigo.

Duodecim annorum, alias sanissima, puella, totum corpus porrigine coopertum praeseferebat. Omnibus ad trutinam revocatis, morbum ad vitia cutis localia pertinere invenimus. Sepositis hinc singulis remediis internis, balnea tepida sub ini-

initio, dein vero oleum olivarum, quo totum sibi corpus cum ipso illiniret, tanto cum fructu adhibuimus (a), ut aegrota quamoptime sanata Clinicum Institutum deserere potuerit.

Haec sunt, quae paucorum mensium spatio in Clinico Instituto Ticinensi, curae meae commissa, potui observare. Ingenue saltem exposita fuerunt omnia, & ipse morborum, quos pertractavi, eventus poterit, ni fallor, quemcunque de methodi adhibitae praestantia convincere.

F I N I S.

IN-

(a) D. Doctor ALFIERI Mediolanensis huic aegrotae adstitit.



INDEX
PARTIS SECUNDAE.

OPERE NUOVE

DI MEDICINA, CHIRURGIA, FARMACIA, VETERINARIA, CHIMICA, BOTANICA ec.

Stampate recentemente in Venezia.

*Quelle che sono contrassegnate con * furono pubblicate per la prima volta in quest' anno 1799.*

Compendio della nuova Dottrina Medica, e Confutazione del Sistema dello Spasino del D. CULLEN; Opera del D. BROWN, trad. dall' Inglese dal D. RASORI, con un Discorso e con Note. 8. t. 2. Venezia 1799. L. 5:--

Ricerche sullo Stato della Medicina secondo i Principj della Filosofia induttiva, con un' Appendice contenente vari Casi pratici con riflessioni; Opera del D. JONES, trad. dall' Inglese con Note dal D. FRANK. 8. t. 2. fig. Venezia 1798. L. 6:--

Prospetto d' un Sistema più semplice di Medicina, ossia Dilucidazione e Conferma della nuova Dottrina Medica del D. BROWN; Opera del D. WEIKARD, trad. dal Tedesco con Note dal D. FRANK. 8. t. 2. Venezia 1796. L. 6:--

Lo Stato stenico ed astenico predominante nelle Malattie, distinto secondo la Dottrina Browniana; Opuscolo del D. WEIKARD, trad. dal Tedesco con Aggiunte dal D. FRANK. Prima edizione. 8. Venezia 1797. L. 1:10

Osservazioni Pratiche intorno alle Malattie Veneree; Opera del D. SWEDIAUR, trad. dall' Inglese, ed arricchita della Descrizione d' una nuova Malattia Venerea ultimamente comparsa nel Canadà, d' una Parmacopea Sifilitica ad uso de' giovani Pratici, e d' una breve Rivista critica del Trattato sulle Malattie Veneree del D. HUNTER. 8. t. 2. Venezia 1799. L. 5:--

Prime Linee di Chirurgia del D. MALACARNE. Prima edizione. 8. Venezia 1794. L. 6:--

Ricordi d' Anatomia Traumatica, composti ad uso de' giovani Chirurghi Militari di Terra e di Mare dal D. MALACARNE. Prima edizione magnifica, con molti rami. 4. Venezia 1794. L. 8:--

Meditazioni sull' Uomo malato, e sulla nuova Dottrina Medica del D. BROWN; Opera del D. VACCA' BERLINGHIERI. Prima edizione. 8. Venezia 1796. L. 3:--

Trattato delle Malattie più comuni ai Bambini dalla loro nascita sino alla pubertà, con un Saggio sull' Allattamento de' medesimi; Opera del D. ARMSTRONG, trad. dall' Inglese, ed accresciuta di molte Note comunica-

te

te dal D. BRUGNATELLI, d'una Memoria sull'Idrocefalo interno del D. ODIER, e di varie altre Memorie coronate dalla R. Società di Medicina di Parigi sopra diversi argomenti relativi a questo soggetto. Prima edizione. 8. Venezia 1793. L. 3:--

Aphorismi Medico-Politici centum D. KNIPS MACOPPE. Prima editio. 8. Venetiis 1795. L. 1.10

Epitome de curandis Hominum Morbis, Prælectionibus academicis dicata, Auctore Joan. Petro FRANK. 8. t. 5. Venetiis 1797. L. 24:--

Dizionario ragionato di Veterinaria teorico-pratica ed erudita, nel quale si contiene tutto ciò che può avere relazione, a quest' Arte; Opera del Con. BONSI. Prima edizione, adorna di moltissimi rami. 8. t. 4. fin ora usciti. Venezia 1796. L. 16:10

Il Sistema Browniano difeso dalle principali imputazioni, con alcune Riflessioni relative al medesimo. Opuscolo del D. RICCOBELLI. Prima edizione. 8. Venezia 1797. L. 1:10

* Fisiologia e Patologia delle Piante; Opera del D. PLENK, trad. dal Latino con Note dal P. PAGANI. Prima edizione. 12. Venezia 1799. L. 3:--

Non v'è Opera che possa più di questa instruire e dilettare nel tempo stesso i curiosi della Natura. Il ch. PLENK, *compilando e ordinando in Sistema i preziosi frammenti de' sommi Naturalisti* LINNEO, DU HAMEL, BONNET *ec. ec., offre in questo Libro, composto ad uso de' suoi giovani Allievi, un Trattato Elementare di Botanica, che soddisfa pienamente all'oggetto. Le Note del P.* PAGANI *sono tutte utili.*

* Ricerche sopra l'Origine e la Sede dello Scorbuto e delle Febbri putride; Opera del D. MILMAN, trad. dall' Inglese dal D. RICCOBELLI, e dal medesimo corredata d'Annotazioni appoggiate alla Teoria e Pratica Browniana. Prima edizione. 8. Venezia 1799. L. 3:--

Il cel. MILMAN, *guidato da una filosofica induzione, sviluppa in questo Libro la vera origine e sede, e determina l'unica cura di due Malattie, tra le più ordinarie e fatali all'Umanità, lo Scorbuto e le Febbri putride. Moltissimi tratti dell' Opera, pubblicatasi la prima volta nel 1782., lasciano in dubbio se l'Autore fosse già a quell'epoca instrutto del Sistema di* BROWN, *o s'abbia spesso avuto il merito d'opinare contemporaneamente come l'illustre suo compatriota. Le Note del D.* RICCOBELLI *corrispondono alla riputazione di questo dotto Brownista.*

* Ratio Medendi Instituti Clinici Ticinensis, quam reddit D. Josephus FRANK. Accedunt Præfatio D. Joan. Petri FRANK, & plurimæ Animadversiones D. BRERA. Prima editio. 8. t. 2. Venetiis 1799. L. 6:10

L'egregio commentatore di JONES *e di* WEIKARD, *il D. Giuseppe* FRANK, *eletto nel 1795. a coprire la cattedra di*

di Clinica nell' Università di Pavia in luogo del D. PIETRO *suo padre chiamato a Vienna, volle mostrarsi degno dell' onore impartitogli, pubblicando una Storia ragionata delle principali Malattie, curate sotto la sua direzione nel Clinico Istituto. Fu suo scopo che quest' Opera consecrata alla pratica, e fondata sui luminosi Principj di* BROWN, *fosse non meno utile ai giovani Allievi di Medicina, che grata a' Maestri i più provetti nell' Arte; e vi riuscì, come lo provano le replicate edizioni di Vienna e di Pavia. La Prefazione del D. Pietro* FRANK *è interessantissima, e le molte Note illustrative del D.* BRERA *aggiungono non poco pregio all'edizione italiana.*

* Apparatus Medicaminum, Nosocomiis ac generatim curationi Ægrotorum pauperum maxime accommodus; Auctore D. MARABELLI. Exstat sub finem Operis specimen seu norma tum Pharmacopeæ pro castrensibus Nosocomiis, tum generalis Apparatus Medicaminum pro omnibus Personarum classibus. Prima editio. 8. Venetiis 1799. L. :

Quest' Opera già diretta all' utilità generale, ma particolarmente a beneficio de' Poveri, presenta una ragionata esattissima Descrizione chimico-medica de' principali Rimedj. I migliori Chimici ne fanno i più grandi elogi, e la giudicano necessaria a tutti i giovani Studenti di Medicina, Chirurgia, Farmacia ec.

* Classificazione delle Malattie secondo i Principj di BROWN, esposta in una Tavola descritta e dilucidata dal D. BRERA. Si premette una Definizione de' Vocaboli propri del Sistema Browniano, stesa dal D. WEIKARD a più giusta e facile intelligenza di questo Sistema. Prima edizione. 8. Venezia 1799. L. 1:10

Il solo suo titolo caratterizza e raccomanda abbastanza il presente Opuscolo. Si è creduto utile di premettere alla Memoria del D. BRERA *una Parafrasi delle più importanti espressioni usate nel nuovo Sistema di* BROWN, *tratta dagli Elementi di Medicina del D.* WEIKARD, *che si pubblicheranno in seguito tradotti dal Tedesco e commentati dal D.* BRERA.

* Elementi di Chimica, appoggiati alle più recenti Scoperte chimiche e farmaceutiche: Opera del D. BRUGNATELLI. Prima edizione. 8. t. 3. con 7. tavole in rame. Venezia 1799. L. :

Questo Trattato Elementare di Chimica, composto ad uso de' suoi Discepoli da un uomo consumatissimo nella Scienza, com' è il D. BRUGNATELLI; *e posteriore a tutte le più accreditate Produzioni del suo genere, non può che interessare la pubblica curiosità. Ommettendo in questo luogo di discendere a tutti i pregi dell' Opera, giova però d' avvertire ch' essa presenta una Riforma della moderna Nomenclatura chimica, e molte importantissime nuove Osservazioni e Scoperte.*

* Arte Ostetricia del D. STEIN, trad. dal Tedesco dal D. MONTEGGIA, coll' Aggiunta d' alcune Osservazioni pre-

preliminari. Prima edizione. 8. t. 2. con 20. tavole in rame. Venezia 1799. L. :

Il D. STEIN, Allievo dell' imm. LEVRET e dell' ill. ROEDERER, professando col massimo applauso l' Ostetricia prima nell' Università di Cassel, dopo in quella di Marburgo, pubblicò ad uso delle sue Prelezioni il presente Trattato Elementare d' Ostetricia, che diffusesi rapidamente per tutta la Germania, ebbe in pochissimo tempo quattro successive edizioni. Benchè l' Autore confessi di aver seguiti in gran parte i Principj del suo venerato Maestro LEVRET, egli imprime però in tutta l' Opera un carattere originale, e sparge in molti luoghi cose assolutamente nuove: ond' è che questi Elementi combinano i due vantaggi di servire di testo nelle Scuole per la loro precisione, e d' interessar sommamente i più esperti conoscitori dell' Arte per la loro profondità. Il D. MONTEGGIA ha arricchita la sua traduzione d' un sensatissimo Discorso preliminare.

* Analisi chimica della China gialla recentemente introdotta, con varie Osservazioni relative all' uso medico sì della stessa, che della China comune; Opera del D. MARABELLI. Prima edizione. 8. Venezia 1799. L. 1:10

Dobbiamo al D. MARABELLI, uno de' più appassionati e profondi Chimici, questa diligentissima Analisi della China gialla, nuova specie di farmaco, che introdottasi da pochi anni in Italia, fissò l' attenzione de' Pratici osservatori per l' ammirabile sua efficacia, superiore ordinariamente a quella della miglior China comune. L' Autore non si è limitato a far conoscere la natura, le proprietà e gli usi della China gialla, ma ha esposto ancora varie deduzioni e congbietture, che interessano immediatamente la Medicina.